



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Dispvt. XI. De possibilitate, impossibilitate contingentia, & necessitate
entium, seu rerum, atque adeo obiectorum intellectus humani.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

Propositio 15.

101 Veritatis propositionis disiunctivæ nihil obstat, quod omnia extrema disiuncti determinatè vera sint.

Hanc propositionem adiungo propter nonnullos, qui putarunt, ut propositio disiunctiva sit vera, vnum duntaxat extremum disiuncti debere esse verum determinatè, ut supra iam notatum est num. 146. quasi propositio disiunctiva determinatam reliquorum veritatem excludat. Decepti tamen sunt manifestè: quia hæc propositio disiunctiva: *Petrus, vel Ioannes, vel Paulus loquitur*, eundem prorsus habet sensum, iuxta mentem omnium, atque hæc: *aliquis horum trium hominum loquitur*. Hanc autem esse veram, quantumvis omnes tres loquantur, inde monstratur: quia si esset falsa, eius contradictoria esset vera, nempe: *nullus horum trium hominum loquitur*; fieretque ut omnibus tribus loquentibus, nullus eorum loqueretur, quod est chimericum. Tantumdemque de aliis quibusque disiunctivis venit dicendum.

102 Sufficiantque impræsentiarum propositiones, istæ, præter alias, quæ ex dictis iam in præcedentibus quæstionibus compingi possunt, & demonstrari.



DISPUTATIO II.

De possibilitate, impossibilitate, contingentia, & necessitate entium, seu rerum; atque aded obiectorum intellectus humani.



ALDE confert horum quatuor terminorum tractatio ad plene capiendam naturam obiectorum tum intellectus humani; tum etiam divini; necnon ad alia plura prænotanda tum huius Operis propria tum aliis communia.

QVÆSTIO I.

Quid sit possibile in vniuersum; quid possibilitas; & quod duplex?

2 QVamquam à potentia ad quemvis actum quodvis subiectum dicatur potens ad actum ipsum: à solâ tamen potentia ad actum existendi dicitur subiectum illam habens possibile, ut supra disputatione 8. quæst. 3. diuis. 1. notauimus. Itaque possibile dicitur vniuersè, quidquid potest existere; possibilitas autem potentia est ad existendum. Vnde patet primò, possibile sumptum formaliter, prout cadit sub hoc nomen, concretum quoddam esse nostro modo concipiendi coalescens ex subiecto, quod possibile dicitur, & ex actu primo, siue potentia ad existendum, quæ est possibilitas: Prout de ente sumptò pro potente existere supra disputatione 9. quæst. 1. dictum est. Secundò patet, con-

Pharus Scens. Tom. I.

creta possibile, & existens mutuo sibi correspondentia nequaquam habere posse subiecta re ipsa distincta; sed necessariò habere vnum, & idem. Nam potentia, & actus mutuo sibi correspondentes eiusdem omninò subiecti sunt, ut disputatione 8. quæst. 4. proposu. 3. monstratum est. Ex quo rursum apparet, quod existit, idem omninò fuisse antea possibile, & quod est possibile, idem omninò reddi existens, si ei existentia communicetur; proinde nequaquam esse extrema ex parte subiecti distincta possibile, & existens, quæ mutuo sibi correspondent. In quo D. D. omnes, ut certissimò, cui dentissimòque conueniunt.

Iam verò possibile vniuersè sumptum primò diuidi potest in possibile cum sua existentia connexum; sicque propterea potens existere, ut nequeat non existere; & possibile non connexum cum sua existentia, atque aded ita potens existere, ut possit etiam non existere.

Secundò. Possibile cum sua existentia connexum, aliud est connexum metaphysicè, quod nullâ potentia potest non existere; qualis est Deus. Aliud connexum solum physicè, seu naturaliter, quod non potest non existere citra miraculum, potest tamen simpliciter, ut sunt effectus naturaliter inenitabiles; aliud connexum solum moraliter, quod nequit moraliter non existere, etsi queat metaphysicè, & physicè.

Tertiò. Possibile non connexum cum sua existentia; aliud est nunquam existens; quod pure possibile dicitur, seu possibile non existens; aliud est aliquando existens, quod possibile non pure, seu potius possibile existens potest vocari.

Quartò est diuidendum possibile vniuersè sumptum, in possibile metaphysicè, possibile physicè, & possibile moraliter. Possibile metaphysicè dicimus, quod simpliciter est potens existere, etsi fortasse non sit potens naturaliter, aut moraliter. Possibile autem physicè, quod etiam naturaliter potest existere. Ex quo patet omne possibile moraliter etiam physicè, & metaphysicè possibile esse, & omne possibile physicè, etiam metaphysicè; sed non vice versa.

Quintò. Quoduis ex dictis possibilibus in proxime, & in remotè tale diuidi potest. Possibilitas namque, utpote quadam potentia in proximam, & remotam diuidenda venit; iuxta diuis. 6. potentia in genere traditam disputatione 8. quæstio 3. Videatur.

Sextò. Quoduis etiam ex dictis possibilibus in possibile absolute, & possibile ex suppositione est diuidendum. Primum est, quod nullâ expectata conditione, atque aded absolute dicitur tale. Secundum, quod tale tantum est ex hypothesi, quod aliqua subsistat conditio. Conditio autem, aut potest esse impossibilis, quo casu possibile ex suppositione absolute erit impossibile in suo genere; aut potest esse possibilis, eaque vel necessaria, vel contingens. Quo casu possibile ex suppositione absolute etiam erit possibile.

His positis, quæ apud omnes sunt certa, quod in præsentis controuersit, est in quo consistat re ipsa possibile metaphysicè, quod absolute, & simpliciter tale est, præsertim, quod pure est possibile, aut saltem cum præcisione à sua absolute existentia indicatur possibile, seu, quod idem est; quæ fundamenta dentur ex parte rerum, ut verè dicantur possibilia, quæcumque simpliciter, & absolute possibilia dicantur independentè à sua absolute existentia; siue illa careant

re verâ; siue cum præcisione ab illâ considerentur. variae sunt Auctorum sententiae.

¹⁰ Prima sententia est, denominationem possibilis in creaturis formaliter sumi ab omnipotentia diuinâ, à quâ possunt produci, & à quâ proinde producibiles, seu quod recidit in idem, possibiles denominantur. Ita Petr. Hurr. *disp. 8. Metaph. sect. 1.* & alij Recentiores. Pro quibus stare videtur Valent. *1. p. disp. 1. de scient. pun. 7.* & citari solent Aureol. in *1. disp. 42. in 2. parte distinctionis art. 3.* & Guill. Borilong. *ibid. quest. 1.* An verò huiusmodi possibilitas (quam nullus aliorum Doctorum negat) adeò sit extrinseca rebus, & in sola Dei omnipotentia fundata, ut nihil omnino ex parte ipsarum rerum supponat, quo idoneum illâ omnipotentia obiectum euadant, quale apud plerisque est eas suapte conceptu contradictionem non implicare; huius sententiae patroni non satis declarant.

¹¹ Secunda sententia est Scoti in *1. dist. 43. quest. vnic. alijque in locis*, ubi primum statuit res pure possibiles ab aeterno esse quoddam habere (quod esse diminutum vocat) a scientia Dei, quâ cognoscuntur. In quo nihil docet Scotus reprehensione dignum, ut bene notant contra Thomistas quosdam Suar. *disp. 30. Met. sec. 15. num. 17. & disp. 31. sec. 2.* Vasquez *1. p. disp. 70. cap. 2. & disp. 104. cap. 3.* Theod. Smilin. *Tract. 3. disp. 1. 2. de intellectu diuino quest. 3.* & alij: quia tantum attribuit rebus ab aeterno esse obiectum, repositum, seu intentionale, quale dicitur habere quodvis obiectum in mente illud cognoscentis; deindeque censet ab eo statui, seu in eo statu obiectum habere res esse possibiles, sicut, & cetera habent praedicata sua essentialia. Quocirca sententia haec Scoti cum ea coincide-re censenda est, quae supra *disp. 10. quest. 1. num. 8.* dicebat, statum quiditativum rerum per cognitionem Dei concipientem illas constitui.

¹² Tertia sententia est Recentiorum, qui omnem rerum statum, praeterquam absolutam existentiam identificant cum Deo, prout supra vidimus *disp. 10. quest. 1. num. 7.* Hi enim non solum possibilitatem proximam, seu secundariam rerum oriundam ab omnipotentia diuina veluti à forma extrinsecam, sed etiam possibilitatem primariam, seu remotam, seu radicalem, quâ res, quatenus contradictionem non implicant, dicuntur possibiles, cum entitate Dei faciunt idem. Censent enim, hanc veritatem: *Petrus contradictionem non implicat siue: sine contradictionem existet casu, quo existat*, realiter esse idem cum Deo, prout declarauimus amplius loco citato.

¹³ Quarta sententia aliorum Recentiorum est asserentium, possibilitatem primariam creaturarum non consistere in aliquo positio aut cum ipsis, aut cum Deo identificato; sed in negatione identitatis earum cum chymera; quemadmodum, inquirunt, impossibilitas chymerae etiam consistit in negatione identitatis eius cum re possibili, quas negationes censent re verâ esse existentes ab aeterno absolute, atque necessariò. Quò etiam spectare videntur omnes, qui putant, non repugnantiam possibilem, & repugnantiam impossibilem non quid positium re ipsâ esse; sed quid negatiuum.

¹⁴ Quinta sententia aliorum Recentiorum possibilitatem necessariam creature in disiuncto existentia, & non existentia defectibilis eius ponit; nimirum in hac veritate obiectiua, quâ necessaria est, & nequit conuenire chymera: *Vel existit creatura; vel eius carentia defectibilis.*

¹⁵ Sexta sententia est; cuiusvis rei possibilitatem pri-

mariam in veritate conditionatâ consistere, quâ verum est: *Si talis res existeret, sine contradictione existit.* Ita Ripalda *tom. 1. de ente supern. d. 32. sect. 1.* & latius in manuscriptis *Metaph. disp. 2. sect. 3.* Arriag. *disp. 2. Metaph. sect. 1.* Franc. Alfon. in *Physicâ disputatione 7. sect. 3.* & communiter Recentiores.

¹⁶ Septima sententia parum, aut nihil à precedente differens, eorum est, qui absolute pronuntiant, possibilitatem primariam creaturarum, ratione cuius obiectum idoneum euadunt omnipotentia Dei, antequam per illam factibiles concipiantur, in eo stare, quòd tales creaturae de suo, seu considerata secundum se non implicent contradictionem. Ita expresse S. Th. *1. p. quest. 25. art. 3.* Molin. *ibid.* & alij Expositores communiter, quos longum esset recensere. Vasquez *disp. 104. cap. 4.* Heriz. *disp. 5. cap. 2.* Ruiz. *tom. de scient. disp. 15. sect. 6. num. 14.* & alij. Quod ipsum sententiæ citra omne dubium omnes Auctores relati à nobis supra *disp. 10. quest. 1. num. 10.* qui independenter ab existentia verum quoddam esse quiditativum attribunt rebus ab eis inditinctum, & necessariam, ratione cuius vere illis conueniunt omnia praedicata necessaria, e quorum numero est eas esse possibiles. Dixi autem, sententiam hanc parum, aut nihil à precedente differere: quia solum differunt, quatenus illa possibilitatem rebus intrinsecam in veritate ponit conditionatâ; hæc verò in absoluta. Quòd discrimen ad rem parui momenti est; quandoquidem tales veritates, etsi formaliter sint distinctæ, æquivalentur censentur eadem ob mutam connexionem, quam habent, de quo plura dicta sunt supra dicta *disp. 10. quest. 1.* Conueniunt itaque vtriusque sententia Auctores in hoc, quod res possibiles duas possibilitates habent: aham secundariam, & proximam, quæ in creaturis denominatio quædam est eis extrinseca; seu potius semiextrinseca desumpta ab omnipotentia diuina; aliam primariam, & radicalem, quæ rebus omnibus possibilibus intrinseca est, & adæquate identificata; nimirum eas tales esse, quæ contradictionem non implicant, aut absolute ex conceptu suo, aut ex hypothesi, quòd existant.

Propositio 1.

¹⁷ Esse possibiles creaturas possibilitate primariâ, seu remotâ, seu radicali non est denominatio extrinseca illis proveniens ab omnipotentia diuina.

Hæc propositio contra primam sententiam est propositum numero 10. Probatur autem facile, & breuiter. Nam, vel denominatio possibilis proveniens extrinsece creaturæ ab omnipotentia diuina supponit, in ipsâ creatura aliquod esse verum seu quiditativum; seu existentielle conditionatum, non ferens secum contradictionem, ab ipsaque omnipotentia re ipsâ distinctum; vel nullum tale esse supponit; sed tota veritas obiectiua huius obiecti, *creatura est possibilis*, realiter est identificata cum omnipotentia diuina. Si dicatur secundum, sententia hæc in tertiam recideret, postmodum proposit. 3. abiiciendam. Si autem dicatur primum; dicimus cum communi, ab illo esse vero, immunique à contradictione, quòd creatura habet de suo distinctum ab omnipotentia diuina, appellari eam possibilem possibilitate primariâ, seu radicali, seu remotâ; utpote, quæ ab huiusmodi suo esse euadit præ chymera impossibili obiectum idoneum omnipotentia Dei, antequam ullam ab omnipotentia ipsa extrinsecam

Disp. II. De possib. impossib. &c. Quæst. I. 271

secum denominationem sortitur. Non igitur per denominationem extrinsecam oriundam ab omnipotentia diuina primariam suam, & remotam possibilitatem sortitur. Quod erat probandum.

18 Itaque non negamus aliquam denominationem possibilem, siue factibilis accipere creaturam, partim extrinsecè ab omnipotentia diuina; dicimus tamen, hanc non esse primariam, & radicalem, seu remotam; sed secundariam, & proximam, aut certè propinquiorem actui, & supponentem aliam magis intrinsecam creaturæ; atque in ipsius essentia fundatam. Etenim, quemadmodum ad alios actus plures potentia solent dari; vna immediata, seu proxima, & alia remotiores, vt supra disputatione 8. quæst. 3. diuis. 6. statutum, & explicatum est. Ita ad actum existentiam in creatura potente existere, plures potentia, seu, quod est idem, plures possibilitates considerandæ veniunt.

19 Prima est ipsa essentia creaturæ, prout non ferens secum contradictionem, hoc enim ipso, prædictis aliis, discriminatur à chymera impossibili, atque adeò iure optimo possibilis dicitur possibilitate primaria, seu radicali. Censeo tamen, ab huiusmodi possibilitate primaria non euadere creaturam potentem absolute existere; sed tantum potentem existere quatenus est ex se. Hoc enim ipso, quod est ens ab alio, nequit intelligi absolute potens ab alio fieri; absoluta autem potens ab alio fieri nequit intelligi, nisi intelligatur saltem possibilis virtus, à qua faciendæ est. Vnde in denominatione potentis absolute fieri, atque adeò existere intrinsecè clauditur ex connotato, seu in obliquo omnipotentia Dei; quantumvis creatura potens fieri per connexionem sibi identificatam cum omnipotentia ipsâ connexa sit. Cuius ratio est: quia si tali connexionem caterisque omnibus cum creaturâ peruenientibus, deficeret omnipotentia Dei, nequiquam diceretur creatura absolute potens existere, siue posse existere. Quâ eadem ratione supra disputatione 8. quæst. 5. propos. 5. dicebamus ad denominationem, quâ Deus dicitur absolute potens creaturam producere intrinsecè pertinere possibilitatem primariam, siue radicalem creaturæ; esto omnipotentia diuina cum tali possibilitate connexa sit, vt multi opinantur.

20 Ex quibus patet, post primariam denominationem possibilis quam habet creatura ab eo præcisè, quoddam est aliquid non ferens secum contradictionem, aliam habere semiextrinsecam, ex cuius fundamentis, vnum est omnipotentia diuina, seu virtus, quam Deus habet ad producendum omne non ferens secum contradictionem. Quæ quidem primò denominat creaturam semiextrinsecè possibilem, considerata ipsa, vt possibilis; secundò, considerata vt existens; tertîa, vt coniuncta cum decreto efficaci de productione creaturæ. Et hæc vltima est in creatura possibilitas, siue factibilis proxima, siue immediata actui; cum aliæ suo ordine sint remotiores. Tunc enim creatura est proximè potens fieri, atque adeò existere à Deo, quando proximè est potens illam efficere omnipotentia Dei; talis autem est, post sibi adiunctum dictum decretum.

21 Hæc dicta de creaturis prout absolute potenti- bus fieri à Deo: Quoniam verò pleræque earum insuper ab aliis creaturis, tanquam à causis secundis causabiles sunt; ab harum itidem potentiis causatiuis semiextrinsecè denominantur potentes causari atque adeò etiam possibiles, idque aut pos-

sibilitate proxima, quando tales causæ proximè sunt potentes causare illas, aut remotiori, iuxta gradum, in quo considerantur potentia, talium causarum.

Propositio 2.

Esse possibiles creaturas possibilitate primaria, 22 seu radicali non est denominatio extrinsecè illis proueniens à scientia Dei.

Hæc propositio, quæ secundæ sententiæ opponitur propositæ numero 11. eodem imprimis modo, ac præcedens probanda venit. Applicet ergo lector huic illius probationem; sumpto dumtaxat pro termino omnipotentia, termino scientia, ne actum agamus. Deinde etiam venit probanda omnibus iis, quibus ostendimus supra disp. 10. quæst. 1. prop. 3. statum quiditatum absolutum, conditionatumque existentialem, & necessarium rerum, ad quorum alterum, vel vtrumque pertinet earum possibilitas, neutiquam constitui intrinsecè per aliquam cognitionem Dei. Quæ etiam ad rem præsentem sunt applicanda.

Addo ne secundariam quidem aliquam denominationem possibilis sortiri creaturam à scientia Dei considerata seorsim: quia vt sic aliunde supponit illa in creatura omnem possibilitatem circa quam, vt circa obiectum cognoscendum veritatur. Dixi considerata seorsim: quia scientia diuina de creatura, quæ ad productionem eius concurret, aut potest concurrere, vt pertinet ad denominationem, qua Deus dicitur absolute potens producere creaturam, simul cum aliis comprincipiis intrantibus talem denominationem; ita etiam pertinet ad denominationem, qua creatura absolute dicitur potens produci à Deo, atque adeò absolute potens existere, iuxta doctrinam nuper expositam circa propos. 1.

Propositio 3.

Possibilitas primaria creaturarum non est identi- 24 ficata cum entitate Dei.

Hæc propositio contra tertiam sententiam est n. 12. propositam, abundèque refutatam supra disp. 10. q. 1. prop. 1. Recognoscantur dicta ibi. Quibus nihil opus est addere.

Propositio 4.

Possibilitas primaria creaturarum non stat in ne- 25 gatione identitatis earum cum chymera, sicut nec impossibilitas chymerarum in negatione identitatis earum cum creatura possibili; vti dicebant Auctores quartæ sententiæ propositæ num. 13.

Probatum primò. Nam, vt monstrauimus supra disp. 9. q. 3. nulla negatio rerum non existentium est quidpiam adhuc negatiuum existens; vt taleque positiue conceptibile, à Deo, sed penitus nihil. At possibilitas creaturarum est aliquid positiue conceptibile à Deo, vt constat: ergo possibilitas creaturarum in nulla negatione existente potest consistere. Tantumdemque subinde venit dicendum de impossibilitate chymerarum.

Secundò: quia esto aliarum rerum, tum possibi- 26 lium, tum etiam impossibilium non existentium re vera existerent negationes, quæ quidpiam essent positiue in se conceptibile. At identitatis impossibilis creaturæ, cum chymera, vera negatio non existeret, sicut neque aliorum huiusmodi identitatum

extremorum inter se distinctorum, ut satis constat ex dictis *disp.* 10. q. 4. Ergo in negatione existente talis identitatis nec possibilitas creaturæ, nec impossibilitas chymere potest consistere.

28 Tertiò: quia etsi negatio identitatis creaturæ cum chymera esset aliquid re verà, & necessariò existens, id utique supponeret creaturam, & chymeram esse extrema politivè, & verè inter se distincta ex suis cõceptibus quiditativis; alioquin non esset impossibilibs earum identitas; & consequenter neque huius negatio necessaria. Ergo in ista veritate supposita, siue in essentiis eam fundantibus deberet poni primaria possibilitas creaturæ, & impossibilitas chymere; non in negatione identitatis ex iis essentiis pullulante.

29 Quarto; ut Petrus sit possibilis, non satis est, quod ille non sit idem cum vnâ, aut alterâ chymera; sed necesse est, ut cum nulla excogitabilem sit idem: si ergo sententia opposita vera esset, in infinitis negationibus existentibus infinitarum identitatum Petri cum infinitis chymereis solius Petri consisteret possibilitas. Quod ex se videtur absurdum.

Quintò. Negatio identitatis creaturæ cum chymera intrinsecè est necessaria, iuxta Adversarios; non enim denominatur talis ab alio quopiam. Ergo identitas, quam negat intrinsecè est impossibilis. Probatur consequentia. Primò: quia qualiter vnum ex contradictionis est necessarium, taliter alterum debet esse impossibile. Secundò: quia si dicta identitas à negatione alterius identitatis cum creaturâ euaderet impossibilis, idem de hac secundâ esset dicendum, & abiremus in infinitum: quod est absurdum. Tum de aggregato omnium pariter esset dicendum idem, cum tamen nulla supersit extra illud, ad quam recurramus. Tertiò: quia, admissis negationibus tum dictæ identitatis, tum omnium aliarum chymerarum, nequeunt illæ esse necessarie ex merito propriæ perfectionis, quam nullam habent; sed tantum ex eo, quod sint oppositæ ipsis chymereis: ergo prius est, has esse impossibiles, quam illas esse necessarias: Ergo ab intrinsecò habent omnes esse impossibiles, per suam, scilicet essentiam ferentem secum contradictionem. Pariter igitur ab intrinsecò habebunt creaturæ esse posibles per suam essentiam ab omni contradictione immunem.

30 Sextò. Quantumvis chymera esset idè cū creaturâ possibili, impossibilis remaneret tum ipsa, tum coniunctum ex chymera & natura; siquidem per talem identitatem potius indueret chymera novas contradictiones, quam exueretur antiquis; & tamen tunc non daretur talis identitatis negatio. Ergo nec nunc à tali negatione habet chymera esse impossibilem, sed à sua essentia ferente secum contradictionem, quam etiam in ea hypothesi haberet: Ergo nec creatura habet esse possibilem à tali negatione, sed à sua essentia contradictione immuni.

31 Septimò. Ab eadem negatione identitatis chymere, & creaturæ non potest illa impossibilis, & hæc possibilis denominari, nisi ab se invicem, quoad suas essentias verè diuersæ sint, ut patet; sed hæc diuersitas sufficiens est, ut ante omnem dictæ, identitatis negationem creatura possibilis, & chymera impossibilis verè dicantur. Siquidem in eo potissimum stat, quod altera contradictione immunis, & altera contradictioni obnoxia sit: Ergo. Mitto plura, quia hæc satis.

Propositio 5.

32 Possibilitas primaria, atque necessaria creaturæ

perperam ponitur in disiuñcto existentie, vel non existentie defectibilis eius à Recentioribus relatis 7. 14.

Primò: quia hæc explicatio, seu assignatio possibilitatis creaturæ circum quemdam secum fert duplici titulo vitiosum. Primò: quia inexplicatum relinquit id, quod assumitur explicandum. Secundò: quia tacitam repugnantiam terminorum inuoluit. Cum enim esse defectibilem non existentiam creaturæ, & esse possibilem eiudem existentiam manifestè sit idem, perinde est dicere à veritate necessariâ prædicti coniuncti euadere possibilem creaturam, ac euadere possibilem creaturam ab aliquo supponente, eam aliunde possibilem esse. Quod est, & rem inexplicatam relinquere, & in terminis repugnantiam inuoluere, ut satis ex se apparet.

Secundò: quia verum necessariò esse de quouis conceptu obiectiuo, existere illud, vel non existere, non est illud esse possibile; siquidem cuius etiam chymere impossibili conuenit eadem veritas. Quod si ad hanc excludendam addatur particula *defectibiliter* regredimur in eandem questionem: quia idem est, ut dicebam, non existere aliquid defectibiliter, seu non existentia defectibili, ac illud esse possibile. Planè igitur hæc possibilitatis explicatio nugatoria est, eoque iure contemnenda. Pergamus ergo ad reliqua.

Propositio 6.

Possibilitas primaria fundamentalis creaturarum in earum essentiis prout immunibus à contradictione consistit; proindeque illis tum in statu quiditativio absoluto, tum in statu existentiali conditionato annexo quiditativio conuenit.

Ita re ipsa tenet maior, & melior pars Theologorum cū S. Th. 1. p. q. 2. s. art. 3. & aliis citatis n. 15. & 16. pro sextâ, & septimâ sententiâ. Loquor autem in propositione de possibilitate fundamentali: nam de hac est controuersia præfers ut n. 9. prænotauimus. Formalis enim secundum omnes potentia ad existendum est, prout dixi principio questionis.

Probatur autem breuiter quoad primam partem. Primò, à refutatione omnium aliarum sententiarum; illis namque semel explosis, nihil superest, in quo dicta possibilitas rerum constitui possit, præterquam in earum essentiis immunibus à contradictione.

Secundò: quia esse rem aliquam talis essentie ex conceptu suo obiectiuo, quæ secum non fert contradictionem, sufficiens fundamentum est, ut ea dicatur de suo possibilis possibilitate primaria, quæ ratione hæc est explicata *propof.* 1. Igitur talis possibilitas in talibus rerum essentiis ponenda est. Consequentia est bona. Antecedens autem, tum ex terminis ipsis, tum ex communi omnium conceptione constat; tum etiam probatur: quia omnis essentia conceptibilis aut est possibilis, aut impossibilis; ut sit impossibilis, necesse est omnino, quòd secum ferat duo contradictoria, ut ostendimus q. 2. Ergo, quæ secum non fert duo contradictoria eo ipso non potest non esse possibilis. In essentiis igitur rerum, prout à contradictione immunibus, earum primaria, & radicalis possibilitas consistere dicenda est.

Iam secunda pars propositionis ex prima sequitur. Quoniam possibilitas rerum ab earum essentiis indistincta, in eisue consistens realiter non potest non conuenire rebus quiditativè, & necessariò: ergo nec

nec potest non conuenire illis, tum in statu quiditatio-
tuo absoluto, tum in existentiali conditionato an-
nexo ipsi quiditatio, iuxta doctrinam latè tradi-
tam *disp. 10. q. 1.* Et quidem possibilitatem rerum,
de qua modo agimus, sine qua illas nullatenus es-
sent possibiles, vt constat ex dictis præsertim *pro-*
posit. 1. esse prædicatum earundem rerum necessa-
rium, sicut & alia, quæ eis conueniunt quiditatiuè
& consequenter pertines ad dictos status, qui sta-
tus necessarij sunt, vt *loco citato* statuimus; tum ex
ipsis terminis est notissimum: siquidem æquè no-
tum est repugnare, quod Petrus non sit possibilis,
atque, quod non sit rationalis; hoc autem secun-
dum repugnare notissimum est: Tum inde potest
demonstrari: quia si Petrus modo possibilis posset
talis non esse, posset vtique esse impossibilis, vt pa-
ret. Ergo posset dari in rerum natura negatio nec-
cessaria existentie eius: siquidem nihil est in se
impossibile; cuius existentie negatio necessaria non
datur qua ratione negationes dari dicuntur iuxta
a cenda postea. Cum ergo omne necessarium po-
tens dari eo ipso de facto datur, vt etiam est notum:
de facto daretur in rerum natura negatio necessaria
existentie Petri; Petrusque subinde de facto non
esset possibilis, contra suppositionem factam. Quod
est implicitorium; Petri igitur possibilitas præ-
dicatum necessarium est eius. Quod erat osten-
dendum.

38 Ex dictis colligitur primò: possibilitatem prima-
riam rerum tam fundamentalem, quam formalem
bifariam posse prædicari de illis, tum iudicio men-
tis, tum verbis quemadmodum & cætera prædicata
quiditatiua earum. Primò prædicatione absoluta,
cuius veritas obiectiua ad statum quiditatiuum per-
tineat, qualis est hæc de possibilitate fundamentali:
*Petrus essentiam habet de suo immunem contradic-
tione;* & hæc de possibilitate formali: *Petrus de suo
est simpliciter possibilis.* Secundò prædicatione condi-
tionata, cuius veritas obiectiua ad statum condi-
tionatum existentialem, & necessarium ipsi quidi-
tatio annexum spectet: cuiusmodi est hæc de pos-
sibilitate fundamentali: *Si Petrus existeret, sine
contradictione existeret;* & hæc de formali: *Si Petrus
existeret existentialiter, erit simpliciter possibilis.*
Adde in prædicationibus de possibilitate formali
particulam *simpliciter*, vt discernam res possibiles
ab illis chymeris, quæ concipi possunt cum pote-
tate ad existendum, atque adeò possibiles: illæ enim
ab huiusmodi possibilitate ad suas essentias perti-
nente, verè euadent possibiles, tum in statu quidi-
tatio, tum in existentiali prædicto; sed non sim-
pliciter: quia aliunde ferunt secum contradic-
tionem, qua penitus sunt immunes res, quæ simpliciter
sunt possibiles. De quo plura dicenda *infra q. 2.*

39 Dices. Primaria, & fundamentalis possibilitas re-
rum non videtur benè explicari per existentiam ea-
rum sine contradictione ex hypothesi, quod exi-
stant. Nam cum contradictio non aliter possit ex-
cludi, quam per existentiam alterius ex extremis
eius, eo quod vtrumque deficere, tum est impossi-
bile, tum idem atque vtrumque existere, idem erit,
extituras creaturas sine contradictione, ac extituras
præcisè ex hypothesi, quod existant; hoc autem
etiam chymeris conuenit, utpote de quibus etiam
est verum, extituras, si existerent. Respondeo, eam
propositionem: *Si res existeret, existeret sine contra-*
ditione, hunc sensum facere: *Si res existeret, exi-*
stet sine eo, quod sit verum, duo contradictoria simul
existere. Quod tamen verum est ex hypothesi,
quod chymera existeret, vt pluribus explican-

dum est *infra quæst. 2.* Per quod patet ad obie-
ctionem.

Secundò colligitur ex dictis, creaturas existentes 40
ab eisdem fundamentis denominari possibiles in sta-
tu existentie absolutæ, à quibus tales denomina-
bantur in aliis statibus præuiis: quia possibilitas è
genere prædicatum est, quæ rebus conueniunt in
omni statu; iuxta doctrinam vniuersalem traditam
suprà disp. 10. Itaque Petrus existens, qua talis tum
possibilitate primaria, seu radicali à sua essentia
prout à contradictione immuni indistincta, tum
possibilitate proxima semiextrinsecè sumpta à po-
tentia proxima omnium causarum, per quas existit;
tum ab aliis intermedijs denominatur possibilis, seu
potens existere. Quæ possibilitates proinde sum-
ptæ adequatè, & indiuisim contingenter etiam sunt
existentes, sicut subiectum denominatum per illas;
in illisque sumptis realiter intrinsecè inclulum. Vt
satis ex se patet.

Tertiò colligitur, Deum suam quoque possibi- 41
litem habere, siue potentiam ad existendum, vt
est notissimum: quia omne existens ex eo ipso est
potens existere, atque adeò est possibile. Multis
tamen quoad hoc prædicatum differt à creaturis
Deus. Primò, quod solam habet possibilitatem à
sua essentia, prout à contradictione immuni indi-
stinctam; non item alias, quas à suis causis creatu-
ræ fortuntur, cum sit ens à se. Per eam autem non
modo quantum est ex se, sicut illa, iuxta dicta
num. 10. Sed prorsus absolute, & simpliciter, &
proximè euadit possibilis. Secundò, quod possibi-
litas Dei omnimodis est connexa cum sua existentia
ob omnimodam necessitatem quam Deus habet ad
existendum, proindeque nullam secum patitur po-
tentiam ad non existendum. Possibilitas verò crea-
turarum cum existentia earum connexa non est;
secumque subinde comitem habet potentiam ad
non existendum: quo fit, vt creaturæ in existendo
sint contingentes. Tertiò licet hæc Dei possibili-
tas in aliis statibus præuiis ad statum existentie ab-
solutæ à nobis considerari possit, sicut & alia Dei
prædicata, iuxta dicta *suprà disp. 10.* illi tamen sta-
tus ab hoc non sunt independentes, & separabiles,
vti euenit in creaturis, ob strictissimam connexio-
nem, quam cum eo habent. De quo vide plura dic-
ta *loco cit. q. 1. & 5.*

Quartò colligitur: quo pacto philosophandum 42
est de possibilitate negationum eorum omnium,
quæ possunt non existere, qualia sunt, vno Deo ex-
cepto, cætera cuncta tum possibilia, tum impossibi-
lia. Cum enim eiusmodi negationes re ipsa peni-
tus sint nihil in se conceptibile, iuxta doctrinam
statutam *disp. 9. q. 3.* Vt in se nullam essentiam ha-
bent; ita nec vllam existentiam, neque vllam po-
tentiam ad existendum, atque adeò neque vllam
possibilitatem habere possunt. Quocirca à parte rei
esse negationes rerum possibiles, nihil est aliud,
quàm posse res ipsas non existere. Potentia autem
rerum ad non existendum formaliter sumpta, quod
sonat est; fundamentaliter tamen nihilo differt ab
iplarum rerum essentia, quatenus talis est, vt ex eius
non existentia nulla sequatur contradictio. Verum
quia nos eiusmodi negationes, ac si essent aliquid
possumus, & solemus positivè concipere, vt *loco ci-*
tato explicatum est; idcirco eisdem possumus suam
possibilitatem tribuere, tum primariam, quæ for-
maliter erit potentia ad existendum, fundamen-
tali autem immunitas à contradictione, tum etiam
secundarias, quæ denominationes erunt semiextrin-
secè sumptæ à potentis causarum, quibus negatio-

nes ipsæ aliquomodo causabiles sunt talesve per æquivalentiam vocari possunt, iuxta dicta disp. 9. tum q. 5. cit. tum etiam q. 5. videantur etiam, quæ ad rem diximus disp. 10. q. 4.

QVÆSTIO II.

Quid sit impossibile in vniuersum. Quid impossibilitas, & quæplex?

- 43 **Q**uemadmodum id dicitur vniuersè possibile, quod est potens existere, vt vidimus *quæst.* 1. ita id dicitur vniuersè impossibile, quod impotens existere est; impossibilitasque subinde impotentia est ad existendum. Vnde constat, impossibile sumptum formaliter prout cadit sub hoc nomen, concretum quoddam esse nostro modo concipiendi coalescens ex subiecto, quod impossibile dicitur, & ex impotentia, siue carentia potentia ad existendum, quæ ipsa impossibilitas est.
- 44 Diuidi autem potest impossibile ita vniuersè sumptum, in impossibile metaphysicè, physicè, & moraliter. Impossibile metaphysicè dicitur, quod nulla omnino potentia potest existere. Impossibile autem physicè appellatur, quod physicè, seu naturaliter existere nequit, tamen possit metaphysicè. Impossibile denique moraliter vocatur, quod moraliter non potest existere, tamen possit metaphysicè, & physicè: vnde patet, omne impossibile metaphysicè, physicè quoque, & moraliter impossibile esse; & omne impossibile physicè moraliter etiam esse impossibile; sed non vice versa. Nam impossibile moraliter potest esse possibile physicè, & metaphysicè; & impossibile physicè, metaphysicè potest esse possibile.
- 45 Rursus quoduis ex dictis impossibilibus in impossibile absolute, & impossibile ex suppositione diuidendum venit. Primum est: quod nulla expectata conditione, atque adeò absolute dicitur tale. Secundum: quod tale tantum est ex hypothesi, quod aliqua subsistat conditio. Conditio autem aut potest esse contingens, vel impossibilis: quo utroque casu impossibile ex suppositione absolute erit possibile: aut potest esse necessaria: quo casu impossibile ex suppositione etiam absolute erit impossibile. Omnis igitur modus impossibili physicè, & impossibili moraliter, atque etiam impossibili ex suppositione, de solo impossibili metaphysicè, & absolute, quod simpliciter, & absolute dicitur tale, agendum est in hac *quæst.*
- 46 In qua primò statuendum est ex sententia omnium, id esse simpliciter impossibile, quod secum necessariò fert duo contradictoria; vel quia illa in se includit, vel quia illa infert necessariò: ita, vt si existeret, non possent non simul existere contradictoria ipsa. Compertum enim est, duo contradictoria simul existere non posse: quia alterutrum formaliter est alterius destructio, siue remotio, siue negatio, proindeque existere non potest, nisi alterum non existat; cum illud existere, & non existere alterum prorsus sit idem formalissimè. Quo rursus fit, vt neque id vllomodo possit existere, simpliciterque subinde sit impossibile, quod sine duobus contradictoriis nequit existere. Nequit enim est possibile id, quod existere non potest, nisi existente aliquo impossibili: quale est coniunctum ex duobus contradictoriis, vt patet.
- 47 Secundò statuendum est etiam ex omnium sen-

tentia, nihil posse esse simpliciter impossibile, quod secum non ferat necessariò duo contradictoria. Quod sic demonstro. Id est simpliciter impossibile, quod nullam habet potentiam ad existendum. Ergo casu, quod existeret, quod est simpliciter impossibile, existeret: quia id supponitur; & non existeret: quia fieri nequit, vt existat, id, quod nullam habet potentiam ad existendum. Ergo quodlibet simpliciter impossibile non potest non ferre secum saltè illa duo contradictoria; existere videlicet ipsum, & non existere ex hypothesi, quod existeret. Vel aliter, Omnis existentia ex proprio conceptu essentialiter est connexa cum potentia existendi; vt constat; quia ab omni actu ad suam potentia necessaria prorsus est consequentia. Ergo negatio potentia existendi essentialiter est connexa cum negatione existentia; propter inuersionem connexionem, notissimamque extremorum contradictorium connexis. Ergoposito impossibili, quod secum fert negationem potentia existendi, non potest non poni negatio existentia eius, vt potest, quia necessariò infert negatio potentia existendi; aliundèque supponitur posita existentia ipsa, dum supponitur positum impossibile. Quæ sunt duo contradictoria; quæ ex existentia impossibilis inferebamus. Ex qua insuper alia duo inferuntur, nempe dari in impossibili posito potentiam existendi, quam necessariò existentia infert, & simul non dari: quia de conceptu impossibilis est illa carere. Stat ergo firmum, omne, quod necessariò fert secum duo contradictoria simpliciter impossibile esse, & nihil esse tale, quod illa non fert. Huiusmodi autem impossibile chymera communiter nuncupatur.

His positis, controuersia est à Recentioribus, potius quam ab Antiquioribus excitata. Num impossibile, seu chymera conceptus aliquis obiectus sit terminans nostram, aut etiam diuinam cognitionem ab omni ente possibili condistinctus. An potius ex parte obiectorum nihil omnino distinctum ab omni ente possibili sit vllomodo cognoscibile; sed ipsa entia possibilia eatenus impossibilia euadant, quatenus prauè, sinistrè, & falsè quodam genere cognitionum cognoscibilia sunt. Hoc secundum opinantur nonnulli ingeniosi Recentiores doctores, impossibilitatem impossibilium in eo consistere, quod ipsa obiecta possibilia, sub certis terminis necessaria sint falsitatis, hoc est, per cognitionem necessariò falsam cognoscibilia. Vnde addunt, quoduis omnino obiectum possibile, etiam esse impossibile ex aliqua cognitione terminabili ad ipsum: quia nullum est obiectum possibile, quod non possit terminare cognitionem, vel adiungentem ipsi mentaliter prædicatum eidem repugnans, vel mentaliter diuidentem ab ipso prædicatum eidem necessariò conueniens: quæ subinde cognitio sinistra, praua, & necessariò falsa erit; cuiusque obiectum relatè ad illam necessariò falsitatis, & idèò impossibile. Communis tamen sententia est, impossibile, siue chymeram conceptum obiectuum esse ab omni ente possibili condistinctum, atque adeò de suo habens esse impossibile, quin id à cognitione praua entis possibilis mutuetur. Ita omnes ferè Philosophi, atque Theologi, quos longum esset recensere. Vide, si placet, multos citatos apud Barth. Amicum in *log. tract. 3. quæst. 2. dnl. 2. & 5.*

Propositio 1.

Chymera impossibilis aliquid est ex parte obiecti se habens ab omni ente possibili condistinctum.

vt communis sententia fert; nec præcisè per finitram cognitionem entis possibilis in esse talis potest continui, vt Recentiores opinantur.

Probatur primò propositio à priori. Ab eo, quod res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa, iuxta Arist. & omnes; idemque est de iudicio mentis: Ergo repugnat dari iudicium necessariò falsum, cuius obiectum non sit in se entitatiuè impossibile; atque adeò ab omni possibili distinctum independentè ab ipso iudicio. Probo consequentiam. Si enim loquamur de iudicio affirmatiuo, vt sit falsum, debet obiectum affirmatum non esse in se reipsà tale, quale esse affirmatur. Ergo, vt sit necessariò falsum, debet obiectum affirmatum necessariò non esse in se, sicuti esse affirmatur. Quod ipsum est in se, quantum ad esse affirmatum entitatiuè esse impossibile; atque adeò distinctum ab omni possibili independentè à dicto iudicio, tantumdemque vice versà de iudicio negatiuo venit dicendum.

Respondent aduersarij. Vt sit falsum iudicium affirmatiuum non opus esse, quòd non deat à parte rei obiectum affirmatum; sed sufficere, quòd obiectum affirmatum verè habens esse à parte rei dissonet ipsi affirmationi. Eri enim, inquit, totum obiectum huius iudicij: *Petrus est equus*, verè deat à parte rei, quia nihil est amplius, quàm homo, & equus, qui verè dantur; attamen quia homo, & equus in se re ipsà sunt diuisi, siue distincti: iudicium autem est quedam intentionalis coniunctio, atque identificatio eorum, efficitur, vt iudicium obiecto dissonet, malumque cum eo correspondentiam faciat; atque adeò sit falsum. Paterque de iudicio negatiuo philosophantur; censentes; ad eius falsitatem similem dissonantiam sufficere in eo consistentem, quòd illud diuisio quedam sit merè intentionalis prædicati à subiecto, quando prædicatum, & subiectum re ipsà in se diuisa non sunt.

Sed contrà primò. Quoniam coniunctio, siue identitas, seu potius identificatio merè intentionalis iudicij affirmatiui (tantumdemque de simili diuisione iudicij negatiui censendum) cui identitas obiectiua non correspondeat, commentitia est: Ergo per illam præcisè non potest iudicium falsum obiecto in se verò dissonare. Consequentia est bona. Probo antecedens. Primò, quia iudicium affirmatiuum dumtaxat representatiuè potest esse identificatio prædicati, & subiecti, non enim intelligibile est, qui possit aliter illa identificare. Identificare autem representatiuè prædicatum, & subiectum, aliud non est, quàm representare iudicanti identitatem obiectiuam eorum. Secundò: quia iudicium verum identificans prædicatum subiecto, quale est hoc: *Petrus est homo*; non aliter identificat, quàm representando iudicanti obiectiuam identitatem, quam verè Petrus habet cum homine; alioquin iudicans tantum attingeret tali iudicio extrema, *Petrus, homo*, nesciretque proinde, an talia extrema essent in se re ipsà idem, aut secus, dum actu iudicat, ea esse idem. Quod est chimericum. Sed non aliter identificat prædicatum subiecto iudicium hoc falsum: *Petrus est equus*, quàm hoc verum: *Petrus est homo*, vt patet. Ergo. Tertiò, quia iudicans, Petrum esse idem cum equo, aliquam affirmat dari identitatem Petri cum equo. Quis id dubitet? sed non affirmat dari identitatem Petri cum equo merè intentionalem cum ipso iudicio identificatam, alias iudicium esset verum, cum verè deat talis identitas. Ergo affirmat dari iden-

titatem obiectiuam Petri cum equo; eamque affirmando, & nò aliter identificat talia extrema. Quartò: quia intellectus creatus iudicans, Petrum esse hominem de eadem identitate obiectiuà suadet, vt satis est notum; de quà suadet intellectus diuinus id ipsum iudicans. Constat autem, intellectum diuinum de identitate obiectiuà Petri cum homine realiter indistincta à Petro, & homine suaderi: sed eodem prorsus modo se gerit intellectus creatus circa hoc obiectum: *Petrus est equus*, ac circa hoc: *Petrus est homo*, vt patet: Ergo perinde, dum illud iudicat, de identitate obiectiuà suadet à Petro, & equo indistincta ex conceptu suo obiectiuo. Quod erat probandum.

Sed est ut sit possibile in nobis iudicium identificans intentionaliter extrema, quin illam ipsorum identitatem obiectiuam attingat; atque idcirco dissonum suo obiecto, quando extrema, quæ intentionaliter identificat, realiter inter se sunt distincta consonum autem, quando realiter sunt idem. Contra secundò. Huiusmodi dissonantia iudicij cum suo obiecto nihil confert ad propriam, & legiti-
52 tam talis iudicij falsitatem; sicut neque consonantia ad propriam, & legitimam veritatem. Igitur appellare iudicium falsum, aut verum, quòd dissonet, aut consonet modo dicto obiecto, abusus vocabulorum est; non aliter ac si diceretur iudicium falsum; aut verum, quòd entitatiuè est dissimile, aut simile obiecto iudicato. Consequentia est bona. Probo antecedens. Propria, & legitima falsitas iudicij affirmatiui, iuxta Arist. & omnes in eo stat; quòd obiectum affirmatum non sit tale in se re ipsà, quale est obiectiuè; seu representatiuè in mente affirmantis; sicut è contrà propria, & legitima veritas in eo, quòd obiectum tale realiter sit in se, quale obiectiuè est in mente affirmantis; sed ad hoc prædicta dissonantia, aut consonantia iudicij cum obiecto nihil præstat; siquidem cum illa oppositum potest coniungi. Ergo. Quòd autem cum illa oppositum possit coniungi patet in his duobus iudiciis: *Petrus est equus*; *Petrus est homo*; quorum primum dissonum est suo obiecto: secundum consonum modo prædicto; & nihilominus obiectum primi, iuxta Aduersariorum doctrinam tale est omnino obiectiuè in mente iudicantis, quale realiter in se: obiectum autem secundi non item. quandoquidem Petrus, & equus, qui soli sunt obiectum primi eo ipso in mente iudicantis amplius non sunt, quàm Petrus, & equus, quòd ipsum realiter sunt in se: & Petrus, & homo, qui soli sunt obiectum secundi, eo ipso in mente iudicantis præcise sunt Petrus, & homo; cum tamen in se realiter quid amplius sint, nempe identificati inter se. Quod est; supposita Aduersariorum doctrinà, primum dictorum iudiciorum verum; secundum autem falsum esse veritate, ac falsitate proprià, & legitimà, etiam si primum dissonum, secundum consonum modo prædicto obiecto sit; eoque titulo primum falsum, secundum verum abusiua falsitate ac veritate, quam Aduersarij ipsi intrudunt. Cumque stante dicta aduersariorum doctrinà, non possit non omnibus iudiciis idem accidere: quia eadem, quòd ad rem attinet, omnium ratio est; Confitetur, quodcumque est falsum Aduersariorum falsitate, non posse non nostra veritate esse verum, respectiue ad idem obiectum, & vice versa. Quod est mirabile.

Quod si repetant iterum, eam, quam adstruunt
53 dissonantiam iudicij cum suo obiecto, ad eius falsitatem, consonantiam autem ad eius veritatem sufficere.

ficere, seu (quod in idem recidit) iure optimo nomen falsitatis, atque veritatis mereri. Estò. Sed negare non poterunt, quam nos ex mente omnium, ut censuimus; legitimam tum veritatem, tum falsitatem appellamus, à suaque diuersa est: iure etiam istud nomen mereri, maxime cum iudicia diuina non illa, sed hac veritate sint vera, ut ex se, & ex dictis est notum. Hinc autem tota eorum doctrina corrumpitur, nam cum nostra veritas suae falsitati non opponatur, nec suae veritati nostra falsitas, sed potius (ipsorum doctrina supposita) in eodem iudicio relatè ad idem obiectum semper cohæreant, ut constat ex *num. preced.* fiet utique, ut semper iudicium necessariò falsum ipsorum falsitate, necessariò etiam nostra veritate sit verum. Cur igitur, eius obiectum ab ea necessaria, & abusua falsitate euadet impossibile, & non potius possibile ab hac necessaria, & legitima veritate? Sed demus rursus Aduersariis iudicium necessariò falsum eo genere falsitatis, quod ipsi introducunt, nullam mixturam legitimæ veritatis habere, iuxta ipsorum doctrinam.

54 Argumentor secundò, & probo apertè, talem iudicij necessariam falsitatem nihil conferre, ut obiectum iudicatum aliàs in se possibile, prout terminans tale iudicium sit impossibile: cum enim obiectum ponatur in se possibile, & ipsum obiectum terminare tale iudicium sit etiam possibile; non potest non tale obiectum, prout terminans tale iudicium esse etiam possibile. Relpendunt breuissimè, esse quidem possibile possibilitate entitatis, impossibile verò impossibilitate veritatis; & pergunt ad alia. Miror tamen eos tam leuiter per hoc punctum transiisse, ubi procul dubio habet sedem tota ipsorum deceptio.

55 Virgeo argumentum sic. Complexum ex iudicio necessariæ falsitatis, & ex obiecto terminatè ipsum potest existere. Ergo tale obiectum prout terminans tale iudicium potest existere; Ergo, ut sic non est impossibile, sed possibile. Distinguent rursus hoc vltimum consequens; nam cætera sunt certa in eorum sententia. Non est impossibile impossibilitate entitatis, concedent: impossibilitate veritatis, negabunt.

Sed contra primò. Impossibilitas veritatis talis obiecti prout terminans tale iudicium non reddit ipsum obiectum impotens existere, ut est notissimum; siquidem cum tota sua necessaria falsitate tali veritati opposita, & potest existere, & sæpè etiam de facto existit, iuxta Aduersarios. Ergo nec reddit ipsum obiectum impossibile. Quippe solum est impossibile, iuxta consensum omnium, quod non potest existere. Vnde iam incipit detegi illorum deceptio. Persistentes enim in abusione terminorum impossibile vocant, id, quod non potest esse verum sua illa veritate abusua; non animaduertentes huiusmodi impossibilitatem, quam adtribuunt consequenter esse abusiuam; quandoquidem id, quod impossibile reddit, non reddit impotens existere, prout reddere debet omnis legitima impossibilitas: qualis solum est impossibilitas entitatis, quam vltro, sed incautè negant.

56 Contra secundò. Esse impossibilem veritatem talis obiecti, ut terminans tale iudicium aliud non est in sententia eorum, quam esse impossibile, quod tale iudicium non sit suapte natura dissonum tali obiecto: ad eum modum, quo est impossibile, ut calor non sit suapte natura dissonus frigori. Ergo iam tale obiectum non à tali iudicio sortitur suam qualem impossibilitatem tanquam à forma ipsum extrinsecè denominante impossibile eo præ-

cise, quod ipsum pariter necessariò falsum denominat, uti debeant; sed ab alia impossibilitate sibi etiam extrinsecè, qua est impossibile, ut tale iudicium eidem obiecto sit consonum, cui per suam essentiam est dissonum; hæc enim consonantia impossibilis est veritas, quæ impossibilis dicitur, à cuius impossibilitate tale obiectum, ut terminans tale iudicium denominatur impossibile impossibilitate veritatis secundum solutionem datam. Pergo, & pono claritatis gratia obiectum intrinsecè possibile, extrinsecè verò impossibile esse A, iudicium autem, à quo ei impossibilitas provenit esse B. Arguoque sic. Impossibilitas obiecti A, est extrinsecè denominatio desumpta ab impossibilitate consonantiæ iudicij B. Impossibilitas autem consonantiæ iudicij B, eodem titulo, iuxta Aduersariorum doctrinam denominatio extrinsecè erit desumpta pariter ab impossibilitate consonantiæ alterius iudicij, C, per quod est dissonè iudicabilis. Rursusque desumetur ab impossibilitate iudicij D, & ita deinceps sine fine, fietque ut obiecta A, B, C, D, & cætera, totius infiniti processus extrinsecè denominentur impossibilia à forma nullibi, ne in se ipsa quidem intrinsecè reperta. Quod est chimericum. Ex quo patet, in Aduersariorum sententia, non solum non habere locum impossibilitatem legitimam facientem impotens existere; sed neque abusiuam, quam ipsi adtribuunt facientem impotens esse verum ea sua extrinsecè veritate. Quod argumentis nuper factis contra talem veritatem, & falsitatem ei oppositam mirificè consonat.

Contra terciò. Sumamus aggregatum omnium iudiciorum processum illum infinitum constituentium, vel, ut semel dicam, omnium excogitabilium obiectorum, nullo omnino dempto, & rursus infra argumentum factum, datamque solutionem eius eodem ictu retundo. Nihil est in tali aggregato, quod non sit possibile entitati, & intrinsecè, atque adeo potens existere: ergo nihil est in tali aggregato, quod sit impossibile, aut impossibilitate entitatis, quæ sola est legitima, quam in hac quaestione veniamur; utpote, quæ sola facit impotens existere aut impossibilitate veritatis, quam per vocabuli abusum, Aduersarij introducunt. Antecedens ipsissima est eorum doctrina; consequens quoad primam partem ipsi vltro concedunt. Quoad secundam sic probo. Esse aliquid impossibile impossibilitate veritatis nihil est aliud, quam aliquam eius excogitabilem veritatem esse impossibilem, ut patet: sed nihil est in dicto aggregato, cuius aliqua excogitabilis veritas sit impossibilis; siquidem omnis cuiusvis obiecti excogitabilis veritas obiectu est itidem excogitabile, inclusu in tali aggregato: & ponimus omne obiectum excogitabile in illo inclusu esse possibile: Ergo nihil est tali in aggregato quod sit impossibile adhuc impossibilitate veritatis. Hoc tandem, ni fallor, clare demonstrat totam rem; nempe in Aduersariorum sententia neutiquam locum habere non solum impossibilitatem legitimam impossibilem, quam iuxta sensum Doctorum omnium in præsentia veniamur; sed ne illegitimam quidem, siue abusiuam, quam Aduersarij pro illa sua opinione intendunt supponere.

58 Ex quibus omnibus colliges, Aduersariorum deceptionem, in eo radicatus fundari: quod obiectum necessariò falsum propria, & legitima falsitate eo ipso est impossibile propria, & legitima impossibilitate faciente impotens existere: quia id, cui repugnat esse realiter tale, quale est obiectu in mente

mente illud concipientis, eo ipso realiter non potest existere tale. Quod ipsum est tale obiectum propriè, & legitime esse impossibile. Aduersarij autem incautè procul dubio putarunt, eandem fortunam subiturum obiectum necessariò falsum eà fallitate abusiua, quam ipsi excogitarunt. Quod tamen non ita succedit, vt vidimus; factumque est per eiusmodi falsitatis introductionem, vt non solum e medio fuerit sublata legitima impossibilitas impossibilium; sed etiam, vt spuria, quæ pro illâ videbatur substitui penitus cum illâ euauerit, vt satis ex dictis liquidum est.

60 Tertio (quamuis dicta sufficerent) probo propositionem ab experientia. Primum enim sæpè concipimus obiecta, quæ prout nobis obiectiue apparent, entitatiue, & intrinsecè impossibilia sunt, distinctaque proinde sunt ex proprio conceptu obiectiui ab omni ente possibili; Dum enim secundum Deum negamus, ipsum vtique vt adæquatè condistinctum à verò Deo concipimus; quo pacto non potest non esse intrinsecè, & entitatiue impossibilis. Similiter, dum Deum incorruptibilem, immortalem, incorporeum, impassibilem prædicamus, corruptionem vtique Dei, mortem, corporaturam, passionemue eius apprehendimus, quæ vtique ex conceptu suo intrinsecè impossibilia sunt, vt pote, quæ solius Dei propria, ab omnibusque possibilibus eiusdem generis condistincta nobis apparent, iuxta dicenda postmodum. Ille etiam insipiens, qui dixit in corde suo, non est Deus; negationem Dei concepit intrinsecè impossibilem, sicut negationem immensitatis, libertatis, aut aliorum attributorum Dei, qui talia attributa illi negarunt. In præsentia etiam questione passim concipimus tam ipsi Aduersarij, quam nos, id, quod dari nos affirmamus, & illi negant; hoc autem ipsissimus est conceptus obiectiui entitatiue impossibilis, ab omni ente possibili condistinctus. Quamuis autem Aduersarij euncta hæc ita conantur explicare, vt nulli vnquam intellectui se offerat in dictis, & similibus casibus aliquid obiectiue, & entitatiue impossibile. Eorum tamen explicationes alienæ sunt ab experientia, vt, qui eas viderit, deprehendat.

61 Deinde sæpè apprehendimus, pro libitoque apprehendere possumus conceptus obiectiui, qui ex propria quidditate, & essentia cum aliis conceptibus possibilibus sibi essentialiter oppositis connexi sunt, qui proinde nequeunt non esse intrinsecè, & entitatiue impossibiles. Tales sunt conceptus actionis Dei peccaminosæ; conceptus volitionis Dei efficacis de sua ipsius destructione; conceptus calefactionis oriundæ à frigore; conceptus identitatis Petri cum equo, & alij huiusmodi infiniti. Hic namque locum non habet doctrina Aduersariorum de coniunctione merè intentionali extremorum in se possibilem. Nam actio peccaminosa Dei suapte essentia obiectiua est actio Dei; non actio possibilis alterius agentis per apprehensionem Deo applicata. Volitio etiam efficax Dei de sua destructione, vt est per suam essentiam volitio de solâ destructione Dei, & non de alio obiecto; ita est per suam essentiam volitio voluntatis diuinæ, & non alius principij. Similiter calefactio oriunda à frigore actio propria frigoris est; & identitas Petri cum equo identitas propria talium extremorum suoapte conceptu essentiali. Itaque huiusmodi conceptus esse ab intrinsecò impossibiles non videtur negari posse. Adde, cum Deus, & nos etiam simul concipimus omnia possibilia, multa intrinsecè impossibilia eo ipso

Pharus Scient. Tom. I.

concupere. Talia enim sunt omnia aggregata extremorum seorsum possibilem; ita tamen inter se oppositorum, vt simul existere non possint.

63 Præterea. Potest creatura positio desiderio desiderare destructionem Dei. Potest item desiderare, Deum comprehendere, & alia huiusmodi impossibilia: Hæc autem esse impossibilia ab intrinsecò inde probatur. Quia nec dici potest, per talia desideria tendere voluntatem in obiecta possibilia prout terminantia iudicium eis dissonum; cum longè diuersum sit, quod desiderat, vt ex se patet; Nec dici potest; voluntatem per tales actus merè intentionaliter coniungere obiecta in se possibilia, sicut coniungit intellectus, vt ex dictis nuper est notum: Igitur potest intellectus creaturæ eiusmodi obiecta intrinsecè impossibilia apprehendere, & ea proponere voluntati.

64 Quarto probatur propositio. Nam ex opposita sententia sequitur, innumeras propositiones conditionatas de conditione impossibili, quæ iuxta sententiam omnium sunt veræ, veras non esse; & quæ sunt falsæ, non esse falsas. Etenim hæc propositio e. g. *Si Deus non existeret, creatura non existeret*, omnium consensu vera est; & tamen in Aduersariorum sententia est falsa: facit enim hunc sensum: *Si Deus sinistrè sit concipibilis non existens, creatura non existens*. Respondebunt, in suis principiis non facere nisi hunc: *Si Deus sit concipibilis non existens, creatura erunt concipibiles non existentes*. Sed contra primò: quia talis sensus ab omnium mente alienus est. Quis namque hæcenus sub datâ hypothesi concepitabilitatem de non existentia creaturarum intendit affirmare; & non potius ipsarum realem existentiam negare? Quemadmodum in his, & aliis similibus propositionibus: *Si Petrus non esset possibilis non existeret*; *Si non existeret actio, non existeret terminus*, planè agitur de reali non existentia conditionati, non de illius cognoscibilitate. Contra secundò, quia iuxta Aduersariorum, tum sententiam, tum datæ propositionis expositionem, hæc propositio necessariò, & manifestè falsa: *Si Petrus non esset possibilis, nihilominus existeret* hunc redderet sensum, qui verus est: *Si Petrus est concipibilis non possibilis, nihilominus tum existit, tum est concipibilis existens*. Pariterque in similibus.

65 Quintò. Quia ex opposita sententia sequitur, consequentias apud omnes legitimas malas esse. Quod est absurdum: omnes enim bonam reputant hanc consequentiam: *Petrus non est possibilis: ergo Petrus non existit*; quæ nequit non esse mala, iuxta sententiam dictam; cum faciat hunc sensum: *Petrus sinistrè est concipibilis non possibilis: ergo Petrus non existit*. Pariterque in similibus.

66 Sextò. Quia per aduersam sententiam modus ille legitimus arguendi à contradictorio consequentis bonæ illationis, ad contradictorium antecedentis è medio tollitur. Quod est absurdum. Semel enim factâ hac bonâ consequentia: *Petrus existit: ergo Petrus est possibilis*; ex contradictorio consequentis contradictorium antecedentis nō licebit inferre; tum quia iuxta sententiam dictam non datur contradictorium obiectuum consequentis, cum id sit impossibile; tum quia, si iuxta Logicæ regulas ita fiat illatio: *Petrus non est possibilis: ergo Petrus non existit*, mala erit; cum sensus eius sit, iuxta eandem sententiam *Petrus sinistrè est concipibilis non possibilis: ergo Petrus non existit*; tantumdemque euenit in similibus.

A a Septimò.

66 Septimò. Quia pariter per aduersam sententiam modus ille arguendi potissimus in scientiis humanis, per deductionem ad impossibile è medio penitus tollitur. Quod est absurdissimum: cum vix possimus sine illo pedem mouere, tum in scientiis demonstratiuis, tum in aliis quibusque. Etenim ad arguendum hoc modo. Primò concipiendum, supponendumque est contradictorium obiectuum propositionis probandæ; deinde ex eo est discurrendum per legitimas consequentias, quousque inferatur aliquid impossibile oppositum alicui veritati aliunde demonstratæ, seu certæ. Neutrum autem in sententia aduersa habet locum: quia in scientiis plerisque, vbi de necessariis veritatibus agitur; nec datur contradictorium obiectuum propositionis probandæ; cum id sit quoddam impossibile; nec vllum potest inferre impossibile oppositum veritati alias certæ: cum omne impossibile entitatiuè sit possibile. Sit exemplum. Post demonstratam ex creaturis hanc propositionem: *Deus est causa prima*: Pergat quis ad demonstrandam hanc: *Deus existit ab eterno*, hoc pacto: *Si Deus non existit ab eterno: ergo incipit existere in tempore: ergo accepit ab alio existentiam, quam antea non habebat: ergo est ens ab alio: ergo non est causa prima: at hoc est impossibile, cum iam sit statum, vt certum, esse causam primam: ergo, & illud ex quo sequitur: Deus igitur existit ab eterno*. Discursus optimus secundum omnes; in sententia autem Aduersariorum pessimus. Nam prima illa propositio sumpta pro antecedente discursus: *Deus non existit ab eterno*; apud Aduersarios hæc est quoad sensum: *Deus terminat cognitionem sibi dissonam* (diuidentem scilicet intentionaliter à Deo existentiam eius æternam.) Ex hac autem perperam inferitur: *ergo Deus incipit existere in tempore*; & cetera, quæ sequuntur, vt patet. Deinde illud vltimum consequens: *Deus non est causa prima*, apud Aduersarios est hoc quoad sensum: *Deus terminat cognitionem sibi dissonam* (similem præcedenti) hoc autem non est impossibile oppositum illi propositioni aliunde notæ: *Deus est causa prima*, prout ad concludendum discursum requirebatur, vt etiam patet. Modum igitur arguendi ab absurdo impossibili è medio tollunt Aduersarii suâ sententiâ. Quod erat probandum. Tam, quam sit falsum, quod secum fert eorum sententia, nimirum propositiones, & iudicia contradictoria nullatenus esse opposita ex parte obiecti, sed præcisè ex modo tendendi, quando materia est necessaria tum ex se, tum ex incommodis tactis, & aliis innumeris; tum ex omnium consensu opposito satis apparet.

67 Octauò denum. Sæpissimè dubitamus de obiecto proposito, num illud sit impossibile, vel possibile. At dubitabile non est, num illud terminare possit quamlibet cognitionem sibi dissonam: igitur eius impossibilitas non stat in eo, quod aliquam possit cognitionem sibi dissonam terminare, vt dicunt Aduersarii. Quin imò eorum sententia supposita, omnis questio de possibilitate, aut impossibilitate cuiusvis obiecti cessat; siquidem iuxta eam omne obiectum est entitatiuè possibile, & extrinsecè impossibile ab aliqua cognitione sibi dissona, quam potest terminare; vt vidimus n. 47.

68 Postremò. Ex nullo capite repugnat, vt ex solutione argumentorum patebit, concipi ab intellectu obiectum non potens existere sine aliquo alio conceptu possibili sibi opposito; sed tale obiectum

eo ipso erit chymera impossibilis obiectiua, ab omni ente possibili condistincta, vt ex dicendis prop. 2. compertum fiet: ergo ex nullo capite repugnat intelligibilem esse talem chymeram; quæ eo ipso aliquid erit ex parte obiecti se habens ab omni ente possibili condistinctum. Sublata autem repugnantia concipiendi tales chymeras: confestim fit indubitabile, omnes, quæ concipiuntur de facto eiusmodi esse, vt Aduersarii ipsi concedent, fundantes vnicè suam sententiam in eiusmodi repugnantia. Mitto plura: quia satis, superque conuincunt dicta talis sententiæ falsitatem.

Diluuntur argumenta contraria.

Verum contra nostram, & communem obiciunt 69 Aduersarii primò. Nullum obiectum per se ipsum fert secum duo contradictoria: ergo nullum obiectum per se ipsum est impossibile. Consequentia est bona, vt talisque ab Aduersariis sine probatione relinquitur. Antecedens autem probant: quia nullum obiectum per se ipsum fert secum duo contradictoria actualiter: quia id esset cum illis absolute existere, quod repugnat; nec possibiliter: quia id esset posse cum illis absolute existere, quod etiam repugnat; sed nec fert conditionatè ex hypothesi, quod existeret: quia id esset conditionatè verum esse, exitura duo contradictoria, si illud existeret; hoc autem verum esse non potest: quia de facto darentur duæ propositiones contradictoriae simul veræ: quod etiam repugnat. Etenim si verum est, e.g. calu, quod secundus Deus existeret, exiturum simul ipsum, & non exiturum, hæc propositio est vera de facto: *Secundus Deus existeret, si existeret*, tum etiam hæc: *Secundus Deus non existeret, etiam si existeret*, quæ sunt contradictoriae.

Sed primam miror Aduersarios non aduertisse, 70 hoc argumentum contra omne simpliciter impossibile militare, siue illud ab intrinseco, siue ab extrinseco tale sit, atque adeò ab ipsis etiam solui debere. Si enim de ratione cuiusvis simpliciter impossibilis est implicare contradictionem, seu ferre secum duo contradictoria: vt cum omnibus Doctoribus Aduersarii ipsi supponunt. Quid ad rem interest, quod illud contradictionem implicet, aut secum ferat duo contradictoria ab intrinseco aut ab extrinseco? quando argumentum eò tendit directè, vt huiusmodi implicationem contradictionis è medio tollat, cuiusque demum impossibili ea conuenire dicatur, prout satis ex se apparet. Deinde omitto aliorum solutiones, qui perperam propositiones conditionatas de conditione impossibili interpretantur. Præterea dico, posse impossibile simpliciter secum ferre duo contradictoria in statu quiditativo, tum absolute, tum conditionato ante statum conditionatum existentialem, qui casus in argumento facto sunt prætermissi; sed hic non habeo. De quo postea.

Respondeo igitur ad argumentum ipsum pro omnibus concedendo: quoduis simpliciter impossibile conditionatè ferre secum duo contradictoria; quatenus verum conditionatè est, ambo ea exitura simul, si illud existeret. Itaque verum conditionatè est, si existeret secundus Deus; exiturum ipsum simul, & non exiturum, hinc tamen non sequitur, dari de facto duas propositiones contradictorias simul veras: quæ enim in argumento exhibentur non sunt contradictorie oppositæ. Nam, vt supra disput. 3. quest. 4. & disput. 9. q. 5. proposui. 1. explicauimus, ad oppositionem contradictoriam, tum propositionem cum

cum obiectorum earum, necessarium est, ut per positionem vnius ex extremis contradictionis simpliciter, & vndeque impediatur positio alterius. Quod in nostro casu non euenit: quia licet positio secundi Dei impediatur quatenus est ex se eius non positionem: in casu tamen nostro simpliciter, & vndeque non impedit: quia aliunde fert illam secundum conditionem posita in hypothesi. Ex hypothesi enim, quod secundus Deus existeret, utrumque esset verum, & quod secundus Deus in rerum naturâ esset positus, & quod non esset positus. Vnde istæ propositiones ambæ sunt veræ. *Si existeret secundus Deus, existeret: Si existeret secundus Deus, non existeret*; proindeque non sunt contradictoria, nisi addatur alteri earum particula tantum, aut alia æquiualens, quæ denotetur eius tantum obiectum sub datâ hypothesi verum esse; non item obiectum alterius: quo pacto erit falsa. De quo vide plura dicta loco citato.

72 Verum contra hanc solutionem ex mente eorumdem Aduersariorum potest sic obijci. Existentiæ, & non existentia secundi Dei ex proprio conceptu, & essentia sunt termini mutuo se se excludentes formaliter. Ergo, & contradictoriæ oppositæ sub quacunque hypothesi enunciantur, retinent suam essentiam. Ergo sub quacunque hypothesi enunciantur, contradictoriæ opponuntur. Ergo prædictæ propositiones contradictoriæ oppositæ sunt; & tamen ambæ sunt veræ. Quod est absurdum. Concesso primo antecessente: distinguo primum consequens. Ergo & contradictoriæ oppositæ absolute, concedo: sub hypothesi inferente utrumque, nego, & concessa subsumptâ, nego cæteras consequentias. Etenim oppositio contradictoria, ut dicebam, secum fert exclusionem omnimodam alterius ex extremis contradictionis: hanc autem habent dicti termini in statu absoluto; sed in conditionato prædicto; tamen in utroque æquè retineant suam essentiam; quando enim hypothesi inferit utrumque, ita ex vi essentia vni cuiusque excluditur alter, ut simul ponatur ex vi hypothesi. Quo fit, ut ex hypothesi non detur omnimoda exclusio eius, prout ad oppositionem contradictoriam requirebatur. Sicuti datur absolute.

73 Inferet aliquis. Ergo impossibile simpliciter non fert secum duo contradictoria contradictoriæ opposita. Quod contra omnes est, & absurdum; inde enim fieret, ut impossibile non esset impossibile. Distinguo consequens illatum: impossibile simpliciter non fert secum duo contradictoria contradictoriæ opposita, relatè ad eum statum, in quo illa verè fert secum impossibile, concedo; contradictoriæ opposita relatè ad statum existentia absolute, nego. Et hoc est quod omnes sentiunt; quodque vitat absurdum. Itaque existentia, & non existentia secundi Dei absolute sunt extrema contradictoriæ opposita; absoluteque proinde nequeunt simul existere; & consequenter neque secundus Deus inferens illa absolute potest existere; quod ipsum est esse eum omnino impossibilem. Hoc tamen non tollit, fore ut ambo illa simul existerent ex hypothesi impossibili, quod secundus Deus existeret. Quod est illa sub tali hypothesi contradictoriæ non opponi. Dico autem illa sub tali hypothesi contradictoriæ non opponi, quatenus sub tali hypothesi non exercetur in illis munus contradictoria oppositionis, in eo stans, ut per alterum ex extremis contradictionis omnimodis impediatur, seu excludatur alterum, quod sub tali hypothesi non euenit: ut explicatum est; cæteroquin prædicta extrema etiam sub tali hypothesi dici poterunt contradictoriæ opposita, quatenus

Pharus Scient. Tom. I.

alterutrum de suo formaliter est exclusio alterius.

74 Vergebis. Sine vilo inconueniente, atque adeo simpliciter, & absolute potest existere id, cuius existentia supposita, nullum manet inconueniens, quod tali existentia posset obstare. Sed supposita existentia secundi Dei, nulla manet iuxta doctrinam datam contradictio exercita extremorum, quæ sola posset esse inconueniens obstans tali existentia: ergo secundus Deus sine vilo inconueniente, atque adeo simpliciter, & absolute potest existere. Quod est absurdum.

75 Solenter est hic cauenda fallacia. Respondeo: hoc ipsum, quod est, non manere contradictionem exercitam inter extrema de suo contradictoria ex suppositione, quod existeret secundus Deus, esse inconueniens obstans existentia non conditionata, sed absolute secundi Dei, & consequenter potentia eius ad existendum absolute. Nam, quod nequit existere absque eo quod duo contradictoria non exercent contradictionem, seu, quod est idem, absque eo, quod duo contradictoria simul existant, eo ipso absolute nequit existere; siquidem duo contradictoria non possunt absolute simul existere; quod ipsum est, non posse absolute non exercere contradictionem. Ex quo patet, ipsum non exercere contradictionem contradictoria extrema ex suppositione existentia secundi Dei esse inconueniens obstans existentia absolute eius, quamuis, non sit obstans existentia eius conditionata; siquidem non tollit, exiturum secundum Deum ex hypothesi, quod existeret, quod ex eadem hypothesi exitura itidem forent duo contradictoria. Vnde ad argumentum in formâ, concessâ maiore, & priore parte minoris, nego posteriorem; nempe, solam contradictionem exercitam extremorum manentem ex suppositione existentia secundi Dei posse tali existentia obstare; potius enim nihil ea obstaret, si maneret. Nam cum contradictio exercita in eo stet, quod alterum extremorum contradictoriorum tantum existat, altero penitus impedito; si ex suppositione existentia secundi Dei maneret contradictio exercita, hoc est, alterum tantum existeret ex extremis contradictoriis, utique secundus Deus quid possibile esset. Quoniam omne id possibile est, quod si existat cum altero tantum contradictoriorum, existet; Quod ipsum alio sensu est, sine contradictione existet: hoc est sine coniuncto extremorum de suo contradictoriorum.

76 Rursus opponunt Aduersarij sequi ex doctrinâ nostrâ dari de facto duo contradictoria simul, & absolute existentia, quod manifestè est impossibile. Sumamus, enim, ex iis extremis contradictoriis, quæ simul existerent, si existeret secundus Deus, illud, quod absolute existit. Tum sic. De tali extremo verificatur absolute, esse illud idem secum, ut patet; deinde etiam verificatur absolute, non esse illud idem secum. Ergo. Probatur hæc minor: quia absolute habet tale extremum prædicatum exituri sub hypothesi, quod secundus Deus existeret. Ergo prædicatum distincti à non exituro sub tali hypothesi; aliundeque nos dicimus, illud ipsum sub tali hypothesi non exiturum. Ergo absolute habet prædicatum distincti à se ipso, & consequenter secum ipso idem non est. Concessis, aut admissis reliquis; nego prædicatum exituri sub dictâ hypothesi conueniens dicto extremo, esse prædicatum distincti à non exituro sub eadem. Quo cessat tota obiectio. Quo enim titulo concedam esse distincti, si dico, idem extremum verè exiturum, & simul non exiturum sub tali hypothesi?

Ad 2. Adhuc

77 Adhuc tamen contra dicta potest sic obiici. In statu conditionato possunt duo contradictoria verè simul existere, quamvis alterum sit formalis exclusio alterius: quia, quod alterum excludit ponit hypothesis. Ergo etiam poterunt verè simul existere in statu absoluto, aliunde pariter posito per potentiam Dei; quod per alterum formaliter exclusum est. Nego consequentiam. Ratio discriminis est: quia dari absolute à parte rei duo extrema simul, quorum alterum est formaliter destructio, siue non esse alterius euidenter est impossibile, atque adeò sub nullam potentiam physicam cadens. At apprehendi simul ab intellectu talia extrema non est vnde repugnet, quidquid autem ab intellectu apprehendi potest; eo ipso potest poni in hypothesis, siue supponi per hypothesis re ipsa esse, ut apprehenditur; semel autem facta hypothesis de existentia cuiuscunque apprehensi, nequit non esse proximè verum, & iudicabile ipsum existere ex tali hypothesis, quæ omnia vel ipsa experientia, & ex ipsis terminis constant. Vnde perspicue patet, quomodo possit esse verum, & iudicabile, exitura simul duo contradictoria ex hypothesis, quod existerent simul; quamvis ea absolute simul existere, verum esse non possit. Quod si ex hypothesis coniuncti duorum contradictoriorum potest esse verum, ea simul existere, etiam poterit ex hypothesis cuiusvis alterius obiecti ab intellectu conceptibilis, quod sine ambobus nequit existere.

78 Venio ad secundum argumentum, quo suam sententiam contra nostram propositionem Recentiores stabilire conantur in hunc modum. Re obiecto distincto ab omni ente possibili nullomodo potest verificari esse intelligibile: Ergo tale non est. Consequentia est bona. Antecedens probant: quia talis verificatio fundari debet in identitate talis obiecti cum intelligibili, ut constat. Sed tale obiectum non identificatur cum intelligibili actualiter; non possibiliter, ut etiam constat: quia tale obiectum, aut esset absolute existens, aut esset possibile contra suppositionem. Supponitur enim, tale obiectum ab omni possibili distingui. Sed neque identificatur cum intelligibili conditionate: quia darentur duo contradictoria conditionata simul vera, ut per argumentum præcedens in simili probatum est. Ergo nullomodo obiectum distinctum ab omni ente possibili identificatur cum intelligibili. Quod ipsum est nullomodo intelligibile esse. Hoc argumentum ferè in præcedens recidit quoad substantiam, tamen sub diuersis terminis. Respondet facile, obiectum distinctum ab omni ente possibili intelligibile esse, tum in statu suo quiditativo absoluto, & conditionato, qui verus eius status est, ut constat ex superius dictis disp. 10. q. 1. & 4. tum in statu suo conditionato existentiali, qui etiam est verus, ut etiam constat ex dictis ibidem, & circa argumentum præcedens atque ita in talibus statibus esse idem cum intelligibili eo ipso, quod in illis idem est secummet. Quomodo autem, hinc non sequatur dari de facto duas propositiones contradictorias simul veras, aut conditionatas, aut absolutas satis superque etiam est notum per dicta circa præcedens argumentum. Aliaque quædam, quæ pro huius confirmatione adiungunt Aduersarij ex dictis manent satis diluta. Ex quibus omnibus vnicuique licebit colligere, leuioribus sanè momentis permotos esse, quam par esset, in tam singularem sententiam.

Propositio 2.

Omnis chymera impossibilis ex eo talis est, quod ex proprio conceptu obiectino sine aliquo alio conceptu possibili, & sibi opposito existere nequit.

Demonstratur facile. Quoniam omnis chymera 79 impossibilis titulo talis sine duobus extremis contradictoriis nequit existere, ut constat ex principiis statutis supra n. 45. & 46. Alterum autem ex extremis contradictoriis non potest non de facto existere, atque adeò esse possibile, alias ambo simul deficerent contra illud principium euidentissimum; *Quodlibet est, vel non est.* De quo supra disp. 9. q. 5. p. p. 1. Tum extremum contradictorium existens, atque adeò possibile, alteri opponitur immediate, mediateque subinde chymera non potest existere sine illo; quandoquidem quidquid alicui opponitur, & ei quod sine hoc nequit esse opponatur necesse est, ut satis ex se est notum, & demonstrabimus infra à disp. 14. q. 4. Igitur omnis chymera impossibilis hoc ipso, quod nequit existere sine duobus extremis contradictoriis, necesse est, ut nequeat existere sine aliquo conceptu possibili, quale est alterum ex dictis extremis, opposito sibi medio altero; quod erat demonstrandum. Ex quo patet, nullam omnino chymeram impossibilem esse, quæ prorsus extra ditionem conceptuum possibilium eat, neque relatè ad aliquem conceptum possibilem, seu positium, seu negatium suam impossibilitatem tortatur.

80 Obseruandum tamen est primò, conceptum illum seu positium, seu negatium sine quo chymera nequit existere sæpe esse talem, qui sine alio, vel aliis conceptibus etiam possibilibus nequit existere, sine quibus subinde, etiam chymera ipsa nequit existere, ut patet. Satis autem est ad impossibilitatem chymere, quod aliquis ex conceptibus possibilibus, sine quibus ea existere nequit, quicumque ille sit. fit illi oppositus eorum ipso infert ille contradictorium chymere, ac præinde chymera non potens existere sine illo, sine suo contradictorio, & consequenter sine duobus contradictoriis nequit existere: cum alias nequeat existere sine se. Porro conceptus possibilis chymere oppositus, aut potest esse oppositus ei immediate, aut medio alio quopiam, sine quo illa nequit existere; quilibet autem ex his modis oppositionis ad impossibilitatem eius etiam sufficiet, dummodò oppositio sit metaphysica, seu essentialis. De hac enim solum impræsentiarum sermo est.

81 Secundò obseruandum est: bifariam euenire posse, ut chymera nequeat existere sine alio conceptu possibili sibi opposito. Primò: quia talis conceptus aliunde necessariò existit; proindeque nihil aliud nisi coexistendo illi potest existere. Huiusmodi autem solus Deus est, ut qui necessariò existit, & negationes chymerarum impossibilem, quæ necessariò etiam censentur existere (quæ ratione supra disp. 9. quest. 3. explicatum est, cuius doctrinam semper supponimus, quoniam de existentia negationum loquendum occurrit.) Secundò: quia cum existentia talis conceptus suapte natura, & essentia est connexa chymera, eoque titulo ea nequit existere, nisi ille etiam existat. Priori modo secundus Deus chymericus, sine vero Deo sibi essentialiter opposito, atque etiam sine sui negatione existere nequit. Posteriori autem modo, calefactio chymERICA oriunda

à frigore, sine ipso frigore sibi essentialiter opposito nequit existere. Tum coniunctum chymericum ex duobus contradictoriis sine alterutro eorum, quando ambo sunt possibilis, aut sine possibili, quando alterum est impossibile; & cetera huiusmodi sexcenta.

82 Tercio obseruandum est: oppositionem metaphysicam repertam inter chymeram, & eum conceptum possibilem sine quo ea nequit existere; aut posse esse contradictoriam; qualis est inter quamlibet rem, & negationem eius; aut posse esse contrariam contradictionem inferentem; qualis est inter quamlibet connexionem metaphysicam, & negationem termini eius; inter extrema non vnibilia, & eorum vnionem; & multorum sententia inter assensum, & dissensum eiusdem subiecti, & obiecti: inter peccatum mortale, & gratiam; inter aliaque huiusmodi. Quæuis autem oppositio contraria reperta inter chymeram, & prædictum conceptum sufficit ad impossibilitatem illam, dummodo ea sit metaphysica, iuxta diuisionem eius faciendam *infra disputatione 14.*

83 Quarto obseruandum est: chymerarum impossibilem alias esse simplices physice, hoc est, ex nullis partibus physice distinctis compositas: alias complexas, siue compositas ex partibus distinctis physice. Prioris generis sunt secundus Deus, volitio peccaminosa Dei veri, calefactio indiuisibilis oriunda à frigore, vnio indiuisibilis extremorum non vnibilium, & alia huiusmodi. Posterioris autem generis sunt, coniunctum ex duobus extremis contradictoriis, coniunctum ex duobus extremis contrariis metaphysice, compositum per vnionem chymericam ex extremis non vnibilibus, compositum per identitatem ex extremis distinctis, calefactio diuisibilis oriunda à frigore, cognitio diuisibilis reddens lapidem cognoscentem; & similes.

84 Quinto obseruandum est: chymerarum impossibilem alias esse pure impossibiles, hoc est, nihil in suo conceptu includentes, quod sit possibile: alias non pure impossibiles, id est, aliquid in conceptu suo includentes, quod sumptum seorsim possibile est. Prioris generis sunt, omnes chymeræ physice simplices; & ex complexis earum, quarum omnes partes seorsim sumptæ sunt impossibiles, comprehendendo nomine partium etiam vniones. Posterioris autem generis sunt reliquæ omnes complexæ, siue composita. Harum autem quedam sunt, quarum omnes partes, nulla demptâ, seorsim acceptæ sunt possibiles; totaque subinde earum impossibilitas stat in coniuncto talium partium, cuiusmodi sunt complexum ex duobus extremis contradictoriis contingentibus, ut ex Petro, & eius negatione; & complexum ex duobus extremis contrariis seorsim possibilibus, ut ex actione, & negatione termini eius, ex assensu, & dissensu, &c. Aliæ sunt, quarum aliqua, aut aliquæ partes sunt impossibiles, reliquæ autem possibiles. Nimirum complexum ex frigore, & calefactione chymerica oriunda ab ipso: Complexum ex extremis possibilibus non vnibilibus, & vnione eorum chymerica: complexum ex Petro, & equo, & identitate eorum chymerica; complexum ex animali, & rationali, & distinctione eorum chymerica; ac demum omne complexum ex partibus, quarum alia pure impossibiles, & alia possibiles sunt. His statutis, quæ omnia sunt certa, & conspicua, sit.

Pharus Scient. Tom. I.

Propositio 3.

Pleraque chymerarum impossibilem, tam à cognoscentibus per proprias species, atque adeo à Deo, quam à cognoscentibus per species alienas conceptibiles sunt. Nonnullæ tamen à solis cognoscentibus per species alienas, atque adeo per aliena substituta, vti nos pro præsentis statu cognoscimus, sunt conceptibiles.

Vt, enim constat ex dictis *disp. 10. q. 4. sub initium*: chymeræ, quæ in suo conceptu obiectiuo inuoluunt identitatem confictam extremorum re ipsâ distinctorum; aut distinctionem confictam extremorum re ipsâ identificatorum à cognoscentibus per proprias species non sunt conceptibiles; bene tamen à cognoscentibus per alias ob rationem allatam *ibi*. Ceteræ verò, ferè omnes chymeræ ab vtriusque conceptibiles sunt; nempe secundus Deus confictus, actio peccaminosa Dei; calefactio oriunda à frigore; vnio extremorum non vnibilium; aggregatum extremorum metaphysice oppositorum, & ceteræ huiusmodi, quæ neque identitatem confictam extremorum re ipsâ distinctorum, neque distinctionem confictam extremorum identificatorum re ipsâ, neque aliud quidpiam, quod in se non sit conceptibile inuoluunt in conceptu suo. Vniuersaliter enim quæcunque in se ipsis conceptibiles sunt, etiam à cognoscentibus per species proprias concipi possunt; secus verò, quæ non in se, sed tantum in substitutis alienis sunt conceptibiles, prout dictum est *loco citato*.

Vnde constat: chymeras in se, atque adeo per species proprias conceptibiles, in se, & de suo habere veras essentias obiectiuas, verasque passiones intra statum quiditatum, aut etiam intra existentialem conditionatum verè iudicabiles, & scibiles à quolibet intellectu, etiam diuino; necnon veras earum negationes à parte rei dari, quatenus verè, quoad existentiam à quouis etiam intellectu negabiles sunt. Quod vtrumque alienum est ab aliis chymeris, quæ non in se, sed in alienis substitutis, atque adeo per species alienas conceptibiles sunt. Quare: quoties circa has, aliquas nos propositiones veras proferimus, aut aliqua iudicia vera formamus, ea quidem, non à veritate obiectiuâ, quam in se habeant tales chymeræ, euadunt vera, sed à veritate obiectiuâ aliorum obiectorum, quam illæ supponunt, prout pluribus *loco citato* explicatum est. Ceterum, quia vtræque eiusmodi chymeræ, in iis veritatibus fermè conspirant, quæ titulo impossibilitatis illis conueniunt; tametsi chymeris prioris generis per se, & formaliter; posterioris verò per æquiualentiam tantum conueniant; de vtriusque quod attinet ad tales veritates, eodem modo in sequentibus philosophandum erit, dum opus non fuerit speciatim aliquid adnotare.

Itaque, de secundo Deo chymerico cum veritate dicitur, cum veritateque iudicatur à quouis intellectu, esse secundum Deum: esse impotentem ad existendum; atque adeo chymericum; esse connexionem quoad existentiam cum duobus contradictoriis; atque adeo impossibilem: esse distinctum à vero, & vnico nostro Deo; coëxisturam duobus contradictoriis, si existeret; & cetera huiusmodi, quæ illi ex suo conceptu obiectiuo; atque adeo quiditatiuè vere conueniunt. Tantumdemque pariter venit dicendum de ceteris chymeris, quæ in se ipsis; atque adeo per proprias species conceptibiles sunt iuxta dicta.

Aa 5

Ex

Ex his sequitur primò. Eiusmodi chymeras, quo pacto veritatem habent quiditativam; & consequenter existentialem conditionatam quiditativæ annexam, obiecta quædam vera quiditativè, atque etiam existentialem conditionatè dici posse: chymérica tamen, & impossibilia, quia illud *esse* quiditativum, quod ex conceptu suo habere dicuntur, conditionatumque quod haberent ex hypothesi, quod existerent, ad statum existentialem absolutum nullomodo reduci potest. Quo solum titulo communiter dici solent, loquendo absolute, obiecta, ficta, aut etiam necessariò falsa; cum tamen quoad *esse* suum quiditativum, existentialemque conditionatum quiditativum annexum talia non sint, sed tantum quoad *esse* existentialem absolutum, cum concipiuntur absolute existentia.

89 Secundo sequitur: contradictionem, quam sibi habere annexam dicuntur eiusmodi chymera, non esse contradictionem spectantem ad statum quiditativum, aut existentialem conditionatum quiditativum annexum; alioquin intra tales status non essent vera obiecta; sed tantum spectantem ad statum existentialem absolutum, intra quem duntaxat, quando intra illum concipiuntur, obiecta sunt falsa. Quemadmodum impossibilitas; quam habent oriunda ab impossibilitate talis contradictionis, non est impotentia ad habendum *esse* quiditativum, aut conditionatum existentialem, quod verè habent, & ad quod habendum subinde potentes sunt; sed tantum ad habendum *esse* existentialem absolutum, quod nullatenus habere possunt. Supponimus enim impræsentiarum, contradictoriarum oppositionum, alias ad statum quiditativum, eumque aut absolutum, aut conditionatum; alias ad statum existentialem, eumque similiter aut absolutum, aut conditionatum pertinere: Vnicuique autem earum utrumque extremum intra vnum, & eundem statum ad quem illa pertinet, esse debere, iuxta dicta *disp. 10. q. 5. propos. 14.*

90 Sunt tamen præterea, alia obiecta chymérica ex genere præsertim conceptibilia duntaxat per species alienas, quæ non solum intra statum existentialem absolutum; sed etiam intra statum quiditativum absolutum, & existentialem conditionatum ipsi quiditativum annexum necessariò sunt falsa; atque adeò connexa, non solum cum contradictione pertinente ad statum existentialem absolutum; sed etiam cum pertinentibus ad statum quiditativum absolutum, & ad statum existentialem conditionatum ipsi annexum. Huiusmodi sunt hæc: *Petrus est lapis: Si Petrus existeret, esset lapis*, & similia. Quæ proinde bifariam dici possunt; aut etiam solent impossibilia, & chymérica. Primò, quia carent potentiâ ad existendum absolute. Secundò, quia carent potentiâ ad essendum id, quod falsò dicuntur esse, tùm in statu quiditativum absoluto, tum in statu existentialem conditionato ipsi quiditativum annexo. Habent tamen nihilominus istæ etiam chymere suas obiectivas veritates ad alios earum status spectantes: nempe quiditativam conditionatam, & existentialem etiam conditionatam annexam tali quiditativæ. Nam quamvis obiecta ista necessariò sunt falsa: *Petrus quiditativè est lapis: Si Petrus existeret, existentialem esset lapis*: hæc tamen necessariò sunt vera: *Si Petrus quiditativè esset lapis, quiditativè esset lapis: Si Petrus existentialem esset lapis, existentialem esset lapis*; ita tamen est verum, Petrum fore lapidem ex hypothesi, quòd esset lapis; ut etiam sit verum non fore: quia cum Petrus essentialiter non sit lapis, ex hypothesi,

quòd lapis esset, utrumque contradictorium sequitur; sicut quia secundus Deus essentialiter est non existens, ex hypothesi, quòd existeret, utrumque contradictorium sequitur; nempe existere eum, & non existere. Ob id dixi, prædicta obiecta chymérica, etiam cum contradictione spectante ad statum quiditativum absolutum, & ad existentialem conditionatum annexum ipsi connexa esse.

Hinc sequitur tertio, obiectorum impossibilium quædam esse impossibilia, atque adeò chymérica vno titulo; quædam duobus. Vno quidem, quæ tantum habent sibi annexam contradictionem spectantem ad statum existentialem absolutum, eoque iure impotentiam habent ad existendum absolute, conceptaque, ut absolute existentia necessariò sunt falsa. Duobus autem, quæ insuper habent annexam sibi contradictionem spectantem ad statum quiditativum, eoque iure insuper habent impotentiam ad essendum quiditativè id, quod esse dicuntur; proindeque ut habentia tale *esse* absolute necessariò sunt falsa. Hæc autem consequenter habent sibi annexam contradictionem spectantem ad statum existentialem conditionatum tali quiditativum annexum; atque adeò, & impotentiam ad habendum sub conditione propria huius status existentialem illud *esse*, quod falsò, ut sic dicuntur habere. Quare chymerarum impossibilium alia distinctionis gratia, dici possunt impossibiles existentialem; siue impossibilitate existentialem tantum; alia etiam quiditativè; siue impossibilitate insuper quiditativæ. Etenim impossibilitas quiditativæ absque impossibilitate existentialem nullatenus stare potest, cum tamen existentialem bene possit stare absque quiditativæ, ut ex *prop. 1. statuta disp. 10. q. 5.* planè colligitur. Quia nimirum, quod non habet, atque adeò neque habere potest aliquid *esse* in statu quiditativum absoluto, neque in statu existentialem absoluto potest illud habere; cum tamen bene possit aliquid esse impotens ad habendum aliquid *esse* in statu existentialem absoluto; quod tamen necessariò habet in statu absoluto quiditativum. Sic quia, Petrus in statu quiditativum absoluto non potest esse lapis, neque potest esse lapis in statu absoluto existentialem; secundus verò Deus in statu absoluto existentialem secundus Deus chymericus esse non potest; qualis necessariò est in statu absoluto quiditativum.

Vnde sequitur quarto; extrema contradictione opposita relatè ad statum quiditativum absolutum necessariò esse etiam contradictione opposita relatè ad statum existentialem absolutum; non tamen vice versâ: quia esse extrema contradictione opposita relatè ad aliquem statum, & non posse coniunctum eorum habere *esse* in tali statu in idem recidit, ut est notum. Constat autem ex dictis, coniunctum duorum contradictoriorum, quod est quædam chymera, neutiquam posse carere potentiâ ad habendum *esse* in statu quiditativum absoluto; quin etiam careat ad habendum *esse* in statu existentialem absoluto; cum tamen bene possit vice versâ; esse impotens ad absolute existendum, quin sit impotens ad absolute essendum id, quod quiditativè est.

Quinto sequitur: quasvis chymeras impossibiles eatenus tantum esse entia rationis ficta, quatenus falsæ sunt; siue quatenus concipiuntur habentes *esse* in aliquo statu, in quo verè illud non habent; non verò itidem quatenus sunt obiecta vera, siue quatenus concipiuntur habentes *esse* in eo statu, in quo verè habent, iuxta dicta; sed de hoc plura sunt dicenda *disp. 12.*

Sexto

94 Sexto sequitur; impossibilitatem, aliaque prædicata, quæ verè de chymis dicuntur, necessaria omnino illis esse; non quidem necessitate existentiali absoluta, (in quo decepti sunt Recentiores, qui impossibilitatem chymicarum cum Deo identificant) sed necessitate quiditativa, eaque vel absoluta, vel conditionata, aut necessitate existentiali conditionata, penes diversos modos, quibus cuiusmodi prædicata verè enuntiantur de chymis, iuxta etiam dicta. Et quoniam omne necessarium, quæ tale, possibile sit necesse est, id est, potens esse ea ratione, quæ necessariò est. Consequitur, impossibilitatem, aliaque prædicata verè convenientia chymicis, verè esse illis possible, id est, potentia convenire, convenientia scilicet quiditativa, aut existentiali conditionata illi annexa. Quocirca possibilitas (sicut de impossibilitate diximus) in existentialem, & quiditativam distinctionis gratia diuisa esto pro dicendis deinceps.

95 Septimò sequitur: bifariam posse esse aliquid absolute impossibile; atque adeò absolute connexum cum contradictione. Primò: ab intrinseco, & per essentiam suam. Secundò: partim à conditione sibi extrinseca, & accessoria; purificata tamen, atque ita constituenta absolute talem impossibilitatem, connexionemque cum contradictione. Huiusmodi autem conditio, aut necessaria potest esse, aut contingens in sua purificatione. Impossibile ab intrinseco simpliciter, & absolute est impossibile, chymeraque appellatur; & idem est de impossibili à consortio conditionis necessariò purificata: impossibile verò à consortio conditionis contingenter purificata, solum dicitur impossibile ex suppositione conditionis; absolute autem possibile, quia antecedenter ad talem suppositionem possibile est. Ob idque ne ex dicta quidem suppositione dici solet chymera, tamen congruè dici possit. Sit pro exemplo primi impossibilis unio extremorum non vniibilium, quæ ab intrinseco, & suo conceptu connexa est cum ipsis extremis sibi essentialiter oppositis; atque ita mediata cum suo contradictorio, quod illa inferunt; & consequenter cum duobus. Pro exemplo autem secundi sit secundus Deus, qui ex suppositione necessaria unici veri Dei sibi oppositi cum suo etiam contradictorio, & consequenter cum duobus connexus est. Pro exemplo denique tertij sit fides diuina de existentia peccati absolute non existentis, quæ ex suppositione absolute non existentie peccati, cum duobus etiam contradictoriis connexa est.

QVÆSTIO III.

Quid sit contingens in vniuersum; quid contingentia; & quod duplex?

96 Contingens dicitur vniuersè id, quod ita potest existere, vt etiam possit non existere. Vnde contingentia potentia quædam est ad vtrumvis; nimirum ad existendum, aut non existendum; seu potius indifferentia quædam ad vtrumvis coalescens ex duplici potentia, altera ad existendum, & altera ad non existendum; Vnde contingens sumptum formaliter, concretum quoddam est nostro modo concipiendi ex subiecto, quod contingens dicitur, & ex duplici potentia, altera ad existendum, & altera ad non existendum; quæ vtrique potentia simul accepta, contingentia formalis est.

97 Diuiditur autem contingens ita vniuersè sumptum; primò in contingens metaphysicè, physicè, & moraliter. Contingens metaphysicè dicimus, quod simpliciter tale est. Contingens autem physicè, quod tale est etiam naturaliter; Contingens denique moraliter, quod etiam moraliter. Quos terminos alibi in simili sæpè explicuimus. Vnde patet; omne contingens moraliter etiam physicè, & metaphysicè contingens esse; & omne contingens physicè, etiam metaphysicè; sed non vice versa. Secundò contingens in existens, & non existens diuidi potest. Tertio: in proximè, & remotè contingens. Quartò: in contingens absolute, & quod nullà expectatà conditione tale est; & contingens ex suppositione, quod tantum est tale ex hypothesi conditionis. Quæ si fuerit impossibilis, contingens ex suppositione absolute erit, vel impossibile, vel necessarium. Si verò fuerit contingens, aut necessaria, contingens ex suppositione absolute etiam erit contingens. Quintò: contingens in liberum, & non liberum diuidi potest, seu potius in liberum in se, & liberum tantum in causâ. Nullum enim contingens est, quod ab aliqua libertate non ducat originem; atque adeò, quod non possit aliquo modo, saltem in causâ dici liberum, prout ex dicendis in sequentibus apparebit.

QVÆSTIO IV.

Quid sit necessarium in vniuersum quid necessitas; & quod duplex?

98 Quamuis possibile, & impossibile contingens, iuxta communè, & magis propriam loquutionem respectu tantum ad existentiam, siue ad actum existendi talia dicantur, vt in quæstionibus præcedentibus visum est. Necessarium tamen latius communiter solet accipi, pro eo, quod ad quemvis actum necessitatum; atque adeò ad actum contradictorium impotens est. Quocirca aliud est necessarium in existendo; aliud in essendo quidpiam; aliud in causando; aliud in cognoscendo, &c. Nihilominus, quod frequentius, loquendo absolute, necessarium vocari solet, necessarium est in existendo, aut etiam in essendo, quod est. Cetera enim potius necessitata ad actum, cum quo conneantur, quàm necessaria absolute veniunt dicenda. Etenim necessitas in vniuersum, quæ quoduis subiectum ad quemvis actum necessitatum dicitur, aliud non est à connexionione, qua tale subiectum cum tali actu connexum est. Quo fit, vt necessarium, siue necessitatum formaliter concretum quoddam sit nostro modo concipiendi coalescens ex subiecto, & actu connexionis, qua subiectum ipsum cum alio quopiam actu connexum est: necessitas autem formaliter in connexionione ipsa consistit. Ex huiusmodi autem positiva necessitate, seu connexionione nascitur tanquàm proprietas quædam in se subiecto necessitato ad actum impotentia ad contradictorium. Quo iure necessarium in existendo eo ipso ad non existendum impotens est.

99 Aliter, & quidem æquiuocè accipi solet necessarium, pro requisito ad aliud quidpiam. Et quoniam requisitum ad aliud, id solum dicitur, quod terminus est connexionis eius, efficitur, vt necessarium huius acceptionis veluti correlatiuum sit necessarij alterius. Posito enim, quod subiectum quoduis ad quemvis actum necessitatum est; atque

adeo impotens esse sine illo; nequit non esse talis actus ad tale subiectum requisitus, seu necessarius, ut illud sit. Quare licet in hac quaestione potissime agamus de necessario prioris acceptionis; nonnulla tamen ex dicendis in ea necessario etiam posterioris sua propositione seruata, venient aptanda.

100 Porro necessarium prioris acceptionis, seu potius necessitatum ad actum, aliud imprimis metaphysicè, aliud physicè, & aliud moraliter tale est, penes connexionem scilicet, aut metaphysicam, aut physicam, aut moralem, quâ illud cum actu connexum est. Quid sit autem connexio metaphysica, quid physica, & quid moralis, cum *disput. 2. quæst. 5.* tum *alibi* iam est explicatum, tum *infra disput. 14.* magis ex professo explicabitur. Vnde necessitatum ad actum, aut immediatè, siue proximè, aut mediatè, siue remotè potest tale esse penes connexionem immediatam, aut mediatam, quam habet cum actu. Deinde necessitatum ad actum, aut absolutè, aut ex suppositione tale esse potest. Absolutè quidem, si tale sit, nulla conditione expectata. Ex suppositione verò, si tale sit tantum ex hypothesi conditionis. Ex quibus patet, quomodo necessarium specialius sumptum pro necessitate ad existendum, aut metaphysicè, aut physicè, aut moraliter tale esse possit, necnon aut absolutè, aut ex hypothesi conditionis. Quæ conditio si sit contingens, necessarium ex eius hypothesi absolutè contingens erit, si autem sit conditio impossibilis, necessarium ex eius hypothesi absolutè necessarium non erit; sed vel impossibile, vel contingens; si denique conditio sit necessaria, necessarium ex eius hypothesi absolutè etiam necessarium erit.

101 Aduerto hic; Recentiores quosdam opinari, necessitatem metaphysicam ex genere eorum prædicatorum esse, quæ non suscipiunt magis, & minus, nullamque subinde necessitatem metaphysicam maiorem aliâ esse posse; & consequenter neque ullum ens posse esse magis necessarium, aut magis, necessitatum metaphysicè, quam aliud. Quo iure censent, Deum non esse magis necessarium in sua existentia, quam sunt creature possibiles in sua possibilitate. Mouentur autem: quia quævis necessitas metaphysica excludit omnem contingentiam, omnemque potentiam ad oppositum: nullumque propterea metaphysicè necessitatum ad aliquem actum magis impotens, quam aliud potest esse ad contradictorium. Ex quo inferunt, nullum metaphysicè necessitatum ad aliquem actum magis necessitatum ad illum posse esse, quam aliud.

102 Ego verò censo, necessitatem in vniuersum ex genere eorum prædicatorum esse, quæ magis, & minus suscipiunt; atque adeo intra quoduis necessitatis genus, vnam maiorem aliâ esse posse; vnumque proinde ens magis necessarium, aut magis necessitatum, quam aliud. Et quidem intra genus necessitatis moralis, atque etiam physicæ id prorsus est indubitabile: cum certum sit, inter necessaria, siue necessitata moraliter, atque etiam physicè quædam necessaria, siue magis necessitata, quam aliâ esse. E. g. necessariū moraliter est, ut in integrâ ciuitate sit aliquis homo peccator; sed magis necessarium moraliter est, ut sit aliquis homo peccator in integro regno. Necessarium moraliter, est ut quatuor, aut plures mathematici probi, & docti testantes de existentia comete à se ipsis visi in Germaniâ non mentiantur; sed multò magis necessarium moraliter est, ut non sint mentiri quotquot testati sunt hæcenus Romam existere. Quare quilibet intellectus magis est necessitatus ad credendum, Romam

existere ob testimonium omnium, qui de eius existentia testati sunt, quam ad credendum existisse in Germaniâ cometam ob testimonium eorum mathematicorum. Similiter. Naturaliter est necessarium, ignem exiguum calefacere; sed magis necessarium est naturaliter, solem illuminare: maiori siquidem, & strictiori iure naturali est citrà omne dubium debita illuminatio soli, quam calefactio igni exiguo; maiusque proinde esset miraculum negare Deum soli concursum debitum ad illuminandum, quam fuit negare igni Babylonico concursum debitum ad tres pueros calefaciendos, & comburendos. Naturaliter etiam est necessarium, cæcum non recuperare visum amissum; sed multò magis est necessarium naturaliter mortuum non recuperare vitam amissam: maiusque proinde miraculum Christi Domini fuit suscitare Lazarum mortuum, quam restituere cæco visum amissum. Itaque inter necessitates morales, atque etiam naturales, seu physicas alias aliis maiores esse prorsus est certum.

Vnde ego argumentum defumo ad idem ipsum 103; asserendum de necessitatibus metaphysicis: quia nullus est titulus, cur inter illas & non inter has possint aliæ aliis esse maiores. Necessitas quippe moralis, aut naturalis idcirco potest esse maior aliâ sui generis, quia connexio extremorum, in qua consistit, iuxta dicta, strictior, & firmitior aliâ esse potest: sed connexio extremorum, in qua etiam consistit necessitas metaphysica, strictior, & firmitior aliâ esse potest; cum id sit proprium cuiusvis colligationis, seu vinculi, seu nexus extremorum, qualis est omnis connexio, ut constat: Igitur necessitas itidem metaphysica maior aliâ sui generis esse potest. Nec refert, quamuis necessitatem metaphysicam excludere omnem potentiam ad oppositum, quominus vna maior aliâ esse possit. Ex quo orta est Recentiorum deceptio: quia etiam quævis necessitas moralis excludit omnem potentiam moralem ad oppositum, & quævis necessitas naturalis omnem potentiam naturalem: & nihilominus quævis earum maior aliâ sui generis esse potest, ut vidimus. Ex eo enim, quod aliquod vinculum nullâ potentia infringi possit, non sequitur esse impossibile aliud illo strictius, & firmitus, quod nulla itidem potentia possit infringi.

Cuius ratio vniuersalis à priori est: quia bene 104 fieri potest, sepeque fit, ut formæ, formalitatesve eiusdem generis valde inter se inæquales sint, & nihilominus in excludendis formis, formalitatibusve contrariis prorsus conspirent. Sic enim, quævis bonitas reddens subiectum bonum simpliciter omnem malitiam oppositam excludit ab illo: quia bonum ex integra causa; & nihilominus nulla est eiusmodi bonitas, quæ maior, aut maior aliâ esse non possit, sepeque fit. Sic quævis gratia habitualis omne peccatum mortale excludit à subiecto, cui inest; & tamen inter gratias habituales aliæ maiores, aliæ minores aliis sunt. Sic ergo pariter etsi quævis connexio, quævisque subinde necessitas metaphysica excludat à subiecto, cui conuenit, omnem potentiam ad oppositum; stare cum eo bene poterit, quod inter connexiones metaphysicas aliæ aliis strictiores, atque adeo inter necessitates metaphysicas aliæ aliis maiores sint. Stet igitur ita esse.

Ex his inferemus suo loco necessitatem, quam 105 Deus habet in essendo, & in existendo infinite maiorem esse necessitate, quam habent cætera cuncta in essendo id, quod quiditatiue sunt; aut etiam in existendo ex hypothesi, quod existant; tametsi necessitates istæ, omnes sint metaphysicæ. Quoniam necessitas

Disp. X. De variis statibus rerum. Quæst. V. 285

necessitas in essendo, tam quiditatiue, quam existentialiter, siue absolute siue, conditionate perfectio quadam est rerum possibilitium, quibus hoc ipso, quod est bonum habere esse quoquomodo, nequit non esse etiam bonum habere illud necessarium. Vnde penes maiorem, aut minorem perfectionem earum maior, aut minor earumdem necessitas in habendo esse taxanda est. Consequens enim est, ut, quo perfectius esse vnaqueque habet, perfectiori modo, atque adeo magis necessarium illud habeat. Cumque Deus ens sit infinite perfectus, atque adeo infinite perfectius esse habens, quam cetera cuncta: cohiscitur, necessitatem, quam Deus habet in essendo tum quiditatiue, tum existentialiter, tum conditionate, tum absolute infinite maiorem esse necessitate, quam habent in essendo cetera cuncta, quâ ratione illa necessarium habent esse: nimirum quiditatiue, tum conditionate, tum absolute: existentialiter vero tantum conditionate, iuxta dicta *disput. 10. quæst. 1.* In existendo enim absolute nihil præter vnum Deum habet necessitatem metaphysicam, ut est notissimum.

QVÆSTIO V.

Quanam propositiones evidentes, aut aliàs certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis?

106 **D**ico elici, quæ sequuntur.

Propositio 1.

107 Omne coniunctum ex duobus extremis contradictoriis oppositis impossibile metaphysice est.

Hæc propositio in principium evidentissimum statutum *disput. 9. quæst. 5. propositio. 1.* recedit; proindeque æquæ atque illud cunctis est evidens. Videantur dicta *ibi*.

Propositio 2.

108 Quidquid cum duobus extremis contradictoriis oppositis metaphysice connexum est chymera impossibilis est.

Hæc propositio ex primâ venit facile demonstranda, iamque *suprà quæst. 2. num. 45.* demonstrata est. Ex eâ autem sequitur manifestè: quidquid cum aliquo impossibili necessarium connexum est, id necessarium esse impossibile; siquidem connexum cum duobus contradictoriis ideo impossibile est: quia coniunctum duorum contradictoriorum impossibile est.

Propositio 3.

109 Omnis chymera impossibilis cum duobus extremis contradictoriis oppositis est metaphysice connexa.

Hæc propositio *quæst. 2. num. 47.* est demonstrata. Videatur *ibi* eius demonstratio.

Propositio 4.

110 Omnis chymera impossibilis cum aliquo con-

ceptu possibili sibi metaphysice opposito est metaphysice connexa.

Quia est connexa cum duobus contradictoriis iuxta *propositio. 3.* Ex quibus alterum debet necessarium esse possibile, cum debeat necessarium esse existens, ne verumque simul deficiat contra *propositio. 1. statutam disputatione 9. quæst. 5.* Extremum autem contradictionis existens hoc ipso, quod alteri opponitur ipsi chymera cum eo connexa opponatur necesse est; siquidem oppositum termino connexionis, & connexioni oppositum est, cum nequeat simul esse cum A id, quod nequit simul esse cum B, sine quo A esse non potest, ut ex se patet, insuperque demonstrabitur *infra disput. 14. quæst. 4.* Concluditur ergo, omnem chimeram cum aliquo possibili sibi opposito connecti, prout erat demonstrandum. Recognosce dicta ad rem *suprà quæst. 2. propositio. 2.*

Propositio 5.

Omnis chymera impossibilis cum suo contradictorio est metaphysice connexa.

Quia est connexa cum extremo sibi metaphysice opposito, iuxta *propositio. 4.* Ergo vel sibi opposito contradictorie; & habetur intentum: Vel sibi opposito contrarie (ad hæc namque duo genera oppositionis reuocatur omnis oppositio metaphysica, ut ostendimus *disput. 14.*) & sic mediatè erit connexa cum suo contradictorio, utpotè cum quo suum contrarium metaphysice connexum esse necesse est. Alterum quippe contrariorum cum alterius contradictorio necessarium est connexum, cum nequeat esse sine illo, hoc ipso, quod cum suo contrario esse non potest, ut ex se patet, & dicta *disputatione 14. quæst. 4.* demonstrabitur. Omnis igitur chymera impossibilis cum suo contradictorio est metaphysice connexa: quod erat demonstrandum; idque aut immediata connexionione, qualis nonnumquam erit, aut mediata, qualis frequentius.

Porro cum suo contradictorio existentiæ esse connexam omnem chimeram impossibilem, inde aliter demonstratur: quia cum sit luopectu conceptu impotens ad existendum, nequit non esse necessitata ad non existendum; atque adeo connexa cum sua non existentia; siquidem omne subiectum impotens ad vnum ex actibus contradictoriis, ad alterum necessitatum est, ut ex se patet; & *suprà disput. 8. quæst. 4.* est demonstratum.

In hac propositione fundatur ille modus arguendi, quem aliqui vocant admirabilem, & in humanis scientiis nonnumquam occurrit; quando videlicet ex vno extremo contradictionis assumpto, & supposito ostensuè demonstratur alterum; ut si quis contra asserentes, hominem non esse risibilem ex eo ipso, quod non sit risibilis, posituè inferret, ostensuèque demonstraret, esse risibilem. Quo arguendi modo vtitur Euclid. *lib. 9. Elem. propositio. 12.* & Theodof. Tripoli. *lib. 1. Sphæricor. propositio. 12.* necnon Cardanus *lib. 5. Proport. prop. 201.* Propterea enim iis in casibus ex vno extremo contradictionis alterum rectè inferitur, & demonstratur: quia illud chymera est impossibile, eoque iure cum hoc connexum suapte naturâ. Ceterum per dictum arguendi modum, ut concludatur, quod intenditur, in argumentationem deducentem ad impossibile tandem est recidendum. Quando enim ex suppositione vnius contradictorii sequitur alterum, ex suppositione vnius contradictorii sequitur vtrumque esse verum: quod est impossibile. Vnde reuertendo inferitur esse

esse necessariò falsum id, quod supponitur, & consequenter verum contradictorium eius; quod alium-
ptum fuerat probandum.

- 114 Ex hac etiam, & præcedentibus propositionibus inferet aliquis fortasse id, quod nonnulli sibi suadent, & verum putant; nempe ex quavis chymera impossibili quodlibet sequi, quatenus ex quavis sequitur quodlibet ex extremis contradictionis; atque ita inutilem esse modum arguendi ex hypothesi impossibili in scientiis humanis satis frequentem; necnon quæstiones, ubi ex hypothesi impossibili aliquid queritur, uti queritur à Theologis in materia de Trinitate: an si Spiritus sanctus non procederet à Filio, ab illo nihilominus distinguere-
tur, aut secus. Cæterum de hoc *inferius quæst. 6.* agendum nobis est.

Propositio 6.

- 115 Quod est necessarium, aut impossibile metaphysice, etiam physice tale est; & quod est physice, etiam moraliter; sed non vice versa. Quod verò contingens est moraliter, etiam physice tale est; & quod physice, etiam metaphysice; sed non è conuerso.

Hæc propositio tum ex se, tum ex *propos. 10. statuta disp. 8. quæst. 4.* comperta est. Aduerto autem, particulam *intra quoduis genus*, in plerisque sequentium propositionum additam denotare propositionem, ubi additur vniuersaliter esse veram intra quoduis genus possibilitatis, impossibilitatis, contingentiae, aut necessitatis, metaphysicæ videlicet, physicæ, vel moralis, proximæ, vel remotæ, absolute, vel ex hypothesi, &c.

Propositio 7.

- 116 Omne obiectum conceptibile, aut impossibile, aut contingens, aut necessarium esse debet intra quoduis genus.

Quia nequit non esse, aut impotens, aut potens cum indifferentia, aut necessitatum ad actum, relatè ad quem aut impossibile, aut contingens, aut necessarium intra quoduis genus venit dicendum, prout *loco citato* est demonstratum *propos. 11.*

Propositio 8.

- 117 Quâ ratione aliquid necessarium est, eadem debet esse possibile intra quoduis genus.
Quia omne necessitatum ad actum, nequit non esse potens ad illum intra idem genus, ut constat ex *propos. 14. & 21. loco cit.* demonstratis.

Propositio 9.

- 118 Quâ ratione aliquid est contingens, eadem possibile est intra quoduis genus.
Quia quavis contingentia possibilitas est in suo genere ad vtrumvis contradictionis extremum, iuxta definitionem eius statutam *suprà quæst. 3.*

Propositio 10.

- 119 Quâ ratione aliquid est possibile, eadem nequit simul esse impossibile, aut vice versa, intra quoduis genus.
Quia simul posset, & non posset habere esse; contra *propos. 1. statutam disp. 9. quæst. 5.*

Propositio 11.

Quâ ratione aliquid est necessarium, eadem nequit esse simul impossibile, aut vice versa intra quoduis genus.

Quia cum necessarium nequeat non esse possibile, iuxta *propos. 8.* si necessarium posset simul esse impossibile, aut vice versa: idem posset esse possibile simul, & impossibile; contra *propos. 10.*

Propositio 12.

Quâ ratione aliquid est necessarium, eadem nequit esse simul contingens, aut vice versa intra quoduis genus.

Quia cum necessarium, qua tale non posset non habere esse: contingens autem posset, iuxta eorum definitiones traditas *quæst. 3. & 4.* si necessarium, qua tale posset esse contingens, aut vice versa, idem posset, & simul non posset non habere esse contra *propos. 1. statutam disputatione 9. quæst. 5.*

Propositio 13.

Quâ ratione aliquid est impossibile, eadem nequit esse simul contingens, aut vice versa, intra quoduis genus.

Quia cum impossibile, qua tale non posset habere esse; contingens autem posset, iuxta eorum definitiones traditas *quæst. 2. & 3.* si impossibile, qua tale posset esse contingens, aut vice versa, idem posset, & simul non posset habere esse; contra eandem *propos. 1. statutam ibidem.*

Propositio 14.

Quâ ratione aliquid est impossibile, eadem contradictorium eius necessarium esse debet; & è conuerso intra quoduis genus.

Hæc propositio ex *propos. 12. demonstrata disp. 8. quæst. 4.* constat; ex eaque sequitur, quando alterum ex extremis contradictionis est necessarium, aut impossibile, non posse alterum esse contingens intra idem genus.

Propositio 15.

Quâ ratione aliquid est contingens, eadem contradictorium eius contingens esse debet intra quoduis genus.

Hæc ex *propos. 13. ibidem demonstrata* constat. Ex eaque sequitur, quando alterum ex extremis contradictionis est contingens, non posse alterum esse necessarium, aut impossibile intra idem genus.

Propositio 16.

Ex duobus extremis contradictionis oppositis alterutrum sub disiunctione necessarium est metaphysice.

Nam alioquin ambo posset simul deficere contra *propos. 1. statutam disp. 9. quæst. 5.*

Propositio 17.

Ambo extrema contradictionis nec simul necessaria, nec simul impossibilia esse possunt intra quoduis genus.

Disp. II. De possib. impossib. &c. Quæst. V. 287

Tum quia ambo simul haberent, aut simul non haberent esse; proindeque ambo essent simul vera, aut simul falsa contra *propos. 1. statutam disput. 9. quæst. 5.* Tum quia, quâ ratione alterum est necessarium, alterum debet esse impossibile; & è conuerso, iuxta *propos. 1. 4.* Quod autem est necessarium, nequit esse simul impossibile, nec vice versa, iuxta *propos. 1. 1.*

Propositio 18.

127 Ambo extrema contradictionis contingentia esse possunt intra quoduis genus.

Quia, quâ ratione alterum est contingens, alterum quoque debet esse contingens, iuxta *propos. 1. 5.*

Propositio 19.

128 Quâ ratione quælibet essentia necessaria est, eadem omnes, & singula partes eius necessariae esse debent intra quoduis genus.

Alioquin aliqua pars essentiae posset deficere, contra *propos. 1. 3. statutam disput. 9. quæst. 5.* ut est notissimum.

Propositio 20.

129 Quâ ratione omnes, & singula partes essentiae compositae necessariae sunt, eadem debet essentia ipsa necessaria esse intra quoduis genus.

Alioquin essentia composita posset deficere, quin posset deficere vlla pars eius contra *propos. 1. 2. statutam ibidem*, ut etiam est notum.

Propositio 21.

130 Quâ ratione pars quælibet essentiae compositae contingens, aut impossibilis est, eadem essentia ipsa contingens, aut impossibilis est intra quoduis genus.

Quia, quâ ratione est potens deficere quælibet pars essentiae compositae, eadem potest deficere essentia ipsa, iuxta eandem *propos. 1. 3. nuper citatam*. Ergo Si pars essentiae compositae est potens deficere contingenter, uti euenit quando est contingens; ipsa quoque essentia erit potens deficere contingenter, atque adeo contingens. Et si pars essentiae compositae est potens deficere necessarium; uti euenit, quando est impossibilis, ipsa quoque essentia erit potens deficere necessarium, atque adeo impossibilis.

Propositio 22.

131 Omne obiectum impossibile necessarium est impossibile, & omne contingens necessarium est contingens, & omne necessarium necessarium est necessarium.

Hæc propositio imprimis constat. Quia hæc prædicata essentialia sunt obiectis, quibus conueniunt, cum sint pertinentia ad statum eorum quiditatum: constat autem, omne prædicatum subiecto essentiali, aut quiditatum necessarium esse ipsi subiecto: sed demonstramus insuper illam ex præcedentibus: quia si obiectum impossibile non esset necessarium impossibile, posset utique tale non esse: ergo posset esse aut contingens, aut necessarium, quandoquidem omne obiectum aut impossibile, aut contingens, aut necessarium indispensabiliter debet,

esse, iuxta *propos. 7.* proindeque, quod non est impossibile nequit non esse aut contingens aut necessarium. At obiectum impossibile nec potest esse necessarium, iuxta *propos. 1. 1.* nec potest esse contingens, iuxta *propos. 1. 3.* ergo non potest non esse impossibile, seu necessarium est impossibile. Quod erat demonstrandum. Pariterque demonstrandum venit, omne obiectum contingens necessarium esse contingens, & omne necessarium necessarium esse necessarium.

Propositio 23.

Possibile, necessarium, & impossibile, tum respectu ad esse existentiale, tum respectu ad esse quiditatum possunt talia esse. Contingens verò dumtaxat potest esse tale respectu ad esse existentiale.

Prior pars propositionis inde constat, quod non solum fieri potest, ut obiectum conceptibile sit potens, aut necessitatum, aut impotens ad existendum; sed etiam, ut sit potens, aut necessitatum, aut impotens ad essendum quiditativè id, quod esse concipitur. Quocirca licet obiectum conceptibile proprius, frequentiusque dicatur possibile, aut impossibile, quatenus est potens, aut impotens ad existendum: potest tamen, atque etiam interdum fore tale dici, quatenus est potens, aut impotens ad essendum quiditativè, id, quod esse concipitur: necessarium verò atque ferè frequenter dici videtur, quod est necessitatum ad essendum id, quod quiditativè est, atque quod est necessitatum ad existendum. Quo tandem fit, ut possibile, necessarium, & impossibile aliud quiditativum, & aliud existentiale veniat dicendum, prout iam in *superioribus* tactum, atque notatum est.

Posterior autem pars inde constat, quod fieri nullo pacto potest, ut aliquod obiectum conceptibile re vera sit potens ad essendum, vel non essendum quiditativè id, quod esse concipitur; bene tamen, ut re vera sit potens ad existendum, vel non existendum, ut est notissimum; eo quod existentia ex prædicatis est defectibilibus: quiditas verò minime. Ex quo patet, nullum contingens posse quiditativum esse; sed necessarium omne contingens existentiale esse debere.

Propositio 24.

Quod semel est impossibile, aut contingens, aut necessarium, in nullo euentu potest non esse tale.

Quia posset essentiam mutare, atque adeo alicubi esse sine sua essentia contra *propos. 8. statutam disput. 9. quæst. 5.* quandoquidem esse obiectum aliquod impossibile, aut contingens, aut necessarium, prædicatum eius est essentiali, quiditativum, & necessarium, iuxta *propos. 22.*

Propositio 25.

Possibili posito in esse, nullum sequitur impossibile.

Hoc est axioma satis vulgatum, & certissimum, demonstrarique ex dictis potest. Quia si possibili posito in esse sequeretur aliquod impossibile, possibile non esset possibile contra suppositionem; siquidem id, ex cuius positione sequitur aliquod impossibile, eo ipso cum tali impossibili connexum est, atque adeo etiam impossibile, iuxta *propos. 2.*

Pro

Propositio 26.

136 Impossibile est, ut omnia omnino entia sint contingentia.

Demonstro facile: quia ex eo quod omnia omnino entia sint contingentia, necessario sequuntur duo contradictoria simul vera. Ergo impossibile est, ut omnia omnino entia sint contingentia. Consequentia est optima ex *proposit.* 2. Probo antecedens: quia si omnia omnino entia essent contingentia, omnia, nullo dempto, possent deficere; eo quod de conceptu omnis contingentis est posse deficere, iuxta definitionem eius; casu autem, quod omnia, nullo dempto, deficerent, nullum sequeretur impossibile: nam possibili posito in esse, nullum sequitur impossibile, iuxta *proposit.* 25. Deinde non possent omnia, nullo dempto, citra impossibile sequuntur deficere: quia casu, quod omnia, nullo dempto, deficerent, omnia redderentur impossibilia, definerentque proinde contingentia esse; quod est impossibile, iuxta *proposit.* 24. Ergo, &c. Cætera constant, solumque restat demonstrandum, casu, quod nullum ens existeret omnia entia fore impossibilia. Id autem inde demonstratur: quia in eo casu nullum ens esset potens existere à se ipso, iuxta *proposit.* 22. & 26. *statuta disput. quest.* 5. nec posset existere ab alio ente non existere ab alio ente non existente, iuxta *proposit.* 3. *ibidem statutam.*

137 Ex hac propositione sequitur, aliquod ens eorum, quæ existunt, necessarium esse in existendo. An autem hinc demonstretur, dari aliquam causam primam habentem existentiam à se, non ab alia causa, suo loco videbimus.

Propositio 27.

138 Ens existens à se nullatenus potest esse contingens; neque è conuerso ens contingens potest esse existens à se.

Quia ens existens à se necessario, atque adeo per suam essentiam est potens existere à se, cum actus sine potentia dari non possit ex *proposit.* 3. *statuta disput. 8. quest.* 4. si autem esset contingens, esset etiam potens non existere: cumque dato casu, quod non existeret, iam non esset potens existere à se, iuxta *proposit.* 22. & 26. *statuta disput. 9. quest.* 5. si esset contingens, esset potens mutare essentiam; quod esse impossibile constat ex *proposit.* 24. Est igitur impossibile, aliquod ens existens à se esse contingens, & consequenter aliquod ens contingens esse existens à se: quod erat demonstrandum.

139 Ex hac propositione constat, omne ens contingens existens ab alio quopiam tanquam à causa habere suam existentiam.

Propositio 28.

140 Omne ens contingens existens, ab aliqua causa indifferente in operando, atque adeo libera suam existentiam habere proximè, vel remote necesse est.

Ut hanc propositionem demonstrarem suppono primò ex *proposit.* 21. *statuta disp. 9. q. 5.* Quidquid accipit existentiam ab alio per sui effectum accipere illam ab illo, tanquam à causa efficiente. Suppono secundo, causam efficientem effectum, sicque dantem illi existentiam necessario debere esse, aut primam à nulla alia efficiente habentem suam existentiam, sed à se ipsa per essentiam (per effectio-

nem namque à se ipsa nequit habere, iuxta *proposit.* 22. *statutam ibidem*) aut non primam habentem suam existentiam ab alia causa efficiente, quæ similiter necessario debet esse aut prima, aut non prima: idemque dicendum venit de reliquis, donec vel sistatur in prima, vel admitatur progressio infinita causarum (siue ea finita in aliqua prima, siue infinita esse dicatur) à quibus suam accipit existentiam effectus proximè quidem ab immediata sibi; remote verò à reliquis nulla detur potentia vel proxima, vel remota ad non producendum effectum necessario sequi, neque in effectum dari ullam potentiam ad non existendum: quia sublata omni potentia ad non producendum effectum, impossibilis est non productio effectus, iuxta *proposit.* 3. *statutam disput. 8. quest.* 4. & consequenter necessaria effectus productio, iuxta *proposit.* 14. *huius questionis*; atque adeo & existentia eius, quam eius productio fert secum, ut est notissimum.

Ex his demonstro propositionem. Quoniam si 141 in tota serie causarum, unde suam habet existentiam effectus, nulla causa libera esset producens cum indifferentia proximè, vel remote effectum; nulla esset in illa potentia ad non producendum effectum; siquidem causa liberè cum indifferentia producens est, quæ potentiam habet ad non producendum; effectusque ipse subinde nullam potentiam haberet ad non existendum, iuxta *tertiam suppositionem*; atque ita contingens non esset. Cum tamen ponatur esse contingens. Quod est contradictio. Omne ergo contingens ab aliqua causa libera proximè, vel remote habere suam existentiam necesse est.

Propositio 29.

Omnis effectus causæ liberæ quatenus liberæ ne- 142 cessario debet esse contingens.

Nam omnis effectus causæ liberæ quatenus liberæ necessario debet esse impedibilis quoad existentiam per causam liberam; atque adeo absolute potens non existere; sicque contingens. Quod enim est impotens non existere, nullatenus quoad existentiam est impedibile, ut est notissimum.

Propositio 30.

Quoties aliquod obiectum conceptibile possibile 143 est, aut impossibile, aut contingens, aut necessarium sub hypothesei alicuius conditionis in absolute tale transit purificata conditione.

Quia omnis veritas conditionata purificata conditione transit in absolutam, iuxta *proposit.* 4. *statutam disput. 10. quest.* 5. Possibilitas autem, ut impossibilitas, aut contingentia, aut necessitas conditionata, quædam veritas obiectiua conditionata est, ut constat. Et hæc sint modò satis pro præsentè quæstione.

Q. V. ÆSTIO VI.

Qua ratione possibile, impossibile, contingens, & necessarium sub nostro intellectu cadant.

Hanc quæstionem adiungo propter quædam 144 difficultates, quas circa obiecta ista speciatim prout à nobis cognoscibilia pro statu præsentè examinare

Disp. XI. De possib. impossib. &c. Quæst. VI. 289

minare oportet, præter examinatas iam generatim in præcedentibus disputationibus, & examinandas in sequentibus.

145 Sit prima: utrum de aliquibus obiectis propositis ex ipsis terminis, aut per discursum, independentem tamen ab omni fide, & experientia sit iudicabile à nobis cum euidentiâ, an possibilia sint, vel impossibilia; an contingencia, vel necessaria. Affirmatiuam partem tuerentur indiscriminatim Recentiores quidam, dum agentes de demonstranda existentia Dei, multis se arbitrantur ostendere cum euidentiâ independentem omnino à fide, ab existentiaque creaturarum, vnum Deum esse possibilem, atque adeo etiam existentem; propositum scilicet, aut apprehensum sub conceptibus aut entis necessarij, aut entis independentis, aut summi boni, aut immunitis ab omni imperfectione, aut aliter. Cæterum, quàm sint Recentiores isti decepti putantes, sua argumenta euidentiâ esse, cum planè sophistica sint, ubi de existentia Dei agam latè ostendendum mihi est.

146 Nunc circa præsentem difficultatem assero primo: independentem ab omni fide, & experientia, de nullo obiecto proposito posse nos scire cum euidentiâ, quod simpliciter, & absolute possibile est: quia de nullo possumus scire cum euidentiâ, quod ab omni contradictione vndequeque est immune, prout requiritur, ut absolute, & simpliciter possibile sit. Etenim, cum nullum omnino obiectum à nobis conceptibile sit, quod non habeat infinitas passiones metaphysicas tum proprias, tum communes, tum positivas, tum negativas per discursum, & successiue, atque adeo sine fine à nobis scibiles, ut demonstrabitur *inferius disputatione 17. quæst. 18.* Compertum planè est nullum esse, cuius omnes passiones metaphysicas distinctè pro statu præsentis scire possimus. Igitur scire cum euidentiâ non possumus, nam aliqua earum, quas ignoramus cuiusvis obiecti propositi, sit aut non sit connexio eius cum alio quopiam ipsi essentialiter opposito, & consequenter cum duobus contradictoriis, iuxta superius dicta. Quod ipsum est scire nos cum euidentiâ non posse, an illud sit, aut non sit possibile simpliciter. Ex quo etiam patet, de nullo obiecto proposito posse nos scire citra omnem experientiam, & fidem, an sit contingens, aut necessarium; quandoquidem omne contingens, & necessarium euidenter debet esse possibile, ut ex dictis in *superioribus*, atque etiam ex se satis est notum.

147 Dices vnusquisque potest concipere obiectum habens sibi identificatam potentiam ad existendum, & consequenter potens existere, siue possibile. Ergo saltem de obiecto ita concepto poterit iudicare vnusquisque cum euidentiâ esse possibile: quia nihil potest esse euidentiâ, quàm obiectum possibile esse possibile. Concesso antecedente, distinguo consequens. Poterit vnusquisque iudicare cum euidentiâ de tali obiecto esse possibile ex præciso conceptu obiectiuo sub quo apparet possibile, concedo: esse possibile simpliciter, & vndequeque, nego: Ob id namque in præcedente assertionem tantum loquutus sum de possibilitate reddente obiectum possibile simpliciter, & absolute, qualem illud solum obiectum habet, quod vndequeque immune est à contradictione; adeo, ut si existeret absolute vlla prorsus contradictione existeret; possibilitas autem illa, à quâ obiectum habet esse possibile ex eo præcisè, quod concipitur cum potentia existendi, non reddit obiectum immune vndequeque à contradictione, atque adeo neque simpliciter, & absolute possibile; ut patet in secundo Deo, qui cum potentia ad existendum concipitur, quandoquidem concipitur existens, & tamen aliunde impossibilis, & penitus chymericus est.

Secundo circa propositam difficultatem assero; 148 de multis obiectis posse nos independentem ab omni experientia, & fide cum euidentiâ iudicare esse simpliciter, & absolute impossibilia; atque adeo talia, ut si existerent, simul cum contradictione existerent. Imprimis enim id possumus iudicare euidenter de quouis coniuncto duorum contradictoriorum, ut patet. Deinde de quouis obiecto connexo ex conceptu suo cum duobus contradictoriis, ut etiam patet. Præterea de quouis obiecto connexo ex conceptu suo cum alio quopiam sibi essentialiter opposito, utpote de quo etiam est euidens sine duobus contradictoriis non posse existere, ut ex dictis in *superioribus* constat. Ex quibus apparet discrimen inter possibilitatem, impossibilitatemque simpliciter dictas: illa enim, utpote quoddam bonum ex integrâ causâ constare debet; hæc verò, utpote quoddam malum ex quocumque defectu constare. Atque ita, ut sciat esse aliquid simpliciter possibile, non sufficit scire illud ex aliquo conceptu suo habere potentiam ad existendum, nisi insuper sciatur ex nullo alio capite habere illud sibi annexam contradictionem. Quod nos pro statu præsentis aliter, quàm ab experientia, vel fide cum euidentiâ scire non possumus. Ut verò sciatur esse aliquid simpliciter impossibile, sat est scire illud ex quouis suo conceptu contradictionem sibi annexam habere, quod passim cum euidentiâ scimus, ut constat ex dictis.

Secunda difficultas est: an citra omnem experientiam, & fidem probabiliter saltem iudicare possumus, esse possibile quoduis obiectum nobis propositum, quoties post attentam considerationem nullam in eo connexionem cum contradictione inuenimus. Respondeo posse; quia in tali calu connexio cum contradictione præsumenda non est, etsi fieri possit, ut sit re verà, & nos lateat. Regulariter enim viros doctos attentè obiecta considerantes latere non solet, quod satis est, ut prudenter, atque adeo probabiliter iudicare possumus, dum nō se prodit, & apparet, re verà non esse; præsertim, quando obiecta, de quibus agitur cum aliis, de quorum possibilitate iam constat, similitudinem aliquam, aut analogiam habent. Et hæc est communis praxis Philosophorum, & Theologorum passim possibile reputantes, quoduis obiectum ex eo præcisè, quod in illo nullam inueniunt implicationem contradictionis

Tertia difficultas est: quarumnam rerum possibilitatem cum euidentiâ possumus assequi, supposita, experientia, vel fide. Dico, earum imprimis, quarum absoluta existentia euidens nobis facta est, seu per experientiam, seu per fidem humanam, aut diuinam; cum euidens sit, esse simpliciter possibile quidquid absolute est existens. Deinde earum etiam cum quarum possibilitate euidenter sunt connexæ, quæ euidenter existunt, cum sit etiam euidens, dari terminum connexionis, quando dari connexionem euidens. Quod potest hic in dubium vocari est: an ex eo, quod aliquod ens indiuiduum possibile sit, necessario sequatur, quodlibet aliud excogitabile solo numero distinctum ab illo, atque adeo omnino ei simile, & æquale possibile esse; videtur enim sequi: quia si non esset possibile, esset omnino simile, & æquale illi, ut supponitur, & simul non esset, quod est chymericum: quia possibile & impossibile non videntur posse esse inter se omnino similia, & æqualia, vel

vel ex eo saltem, quod alterum potens ad existendum, & alterum impotens est.

151 Censeo dicendum nihilominus, obiectum impossibile ex suo intrinseco conceptu bene posse esse omnino simile, & æquale enti possibili, ut patet in secundo Deo impossibili solo numero distincto ab unico vero Deo; eique proinde ex suo conceptu chimerico omnino simili, & æquali: atque ita ex hoc capite necessarium non esse, quod sit possibile id, quod cuius enti possibili omnino est simile, & æquale ex suo intrinseco conceptu. Cuius doctrina ratio est: quia ex vna parte chymera impossibilis bene concipi potest, sæpèque de facto concipitur omnino similis, & æqualis enti possibili, non solum in cæteris omnibus prædicatis utrique intrinsecis, de quibus non est dubium; sed etiam in prædicato potentis existere utrique pariter intrinseco: ex alia verò parte impossibilitas, quæ chymera ab ente possibili differt, prædicatum eius est semiextrinsecum, nihilque derogat proinde similitudini, & æqualitati prædictæ. Etenim omnis chymera ex eo impossibilis est, quod alteri conceptui opponitur, sine quo alias nequit existere; vel quia ille est necessario existens, vel quia chymera cum illo non solum oppositionem, sed etiam connexionem habet, ut satis constat ex dictis in præcedentibus questionibus. Oppositio autem prædicatum est semiextrinsecum extremis oppositis, ut videbimus disputat. 14. unde fit, ut impossibilitas chymera prædicatum etiam semiextrinsecum eius sit, atque adeo non obstat omnimodæ similitudini, æqualitæque, quam chymera quoad suum intrinsecum conceptum cum ente possibili habere potest etiam in prædicato potentis existere, ipsi enti possibili prius intrinseco. Unde id in secundo Deo omnino similis, & æquali ex suo conceptu chimerico unico vero Deo, & nihilominus inde impossibile: quia verus Deus indefectibilis illi oppositus est, atque adeo necessitudo ferens secum contradictorium eius.

152 Quarta difficultas est: an, & quomodo sit utilis in scientiis humanis ad veritates aliquas indagandas forma disputandi, & arguendi ex hypothesi impossibili satis frequens in illis. Nonnulli Recentiores existimant, nullo modo esse utilem: quia ex hypothesi impossibili quodlibet sequitur ex extremis contradictionis, ut supra iam notatum est quest. 5. propos. 5. Ego verò cum communi censeo, utilem esse, si debitus eius modus seruetur. Nam licet ex omni chymera impossibili quodlibet ex extremis contradictionis sequatur absolute loquendo; eo quod nulla est, quæ non sit connexa cum duobus extremis contradictionis, ut quest. 2. & 5. statutum est; verum quia connexio ista, ut implurimum, aut non est adæquate intrinseca conceptui chimerico; sed partim extrinsece oriunda ab alio conceptu opposito illi, à quo suam impossibilitatem participat, iuxta dicta nuper; aut non est immediata respectu ad utrumque contradictorium; sed mediata respectu alterius, & consequenter semiextrinsece etiam fundata in medio distincto à conceptu chimerico, efficitur, ut ex præciso conceptu chimerico posito in hypothesi non utrumque contradictorium, sed alterum tantum sequatur, tametsi ex illo, & ex alio quopiam adiuncto, sine quo nequit ille esse sequatur utrumque. Quo fit, ut ex conceptu chimerico præcisè sumpto per locum intrinsecum, ut aiunt, non sequantur duo contradictoria, sed alterum tantum, superfluoque subinde locus ad disputandum, & arguendum ex hypothesi impossibili sine contradictione, atque adeo vtiliter, ut sæpè fit, ad persequen-

tandas metaphysicæ naturas, & proprietates rerum.

Que doctrina ab omnibus hæcenus præxi ipsa recepta, & ab uno, aut altero Recentiore recens vocata in dubium, ut clarius appareat, opponamus aliqua exempla. Ut probent Theologi distinctionem personalem Filij, & Spiritus S. nasci ex oppositione, quam habent producentis, & productis bene, & vtiliter sic arguunt ex hypothesi impossibili. Si Spiritus S. non procederet à Filio, non esset relative oppositus illi: Ergo nec distinctus ab illo; siquidem in diuinis non est distinctio, ubi non est relationis oppositio, ut fert vulgare axioma. Etenim licet defectus chimericus processionis Spiritus S. à Filio loquendo absolute ferat secum utrumque extremum contradictionis, nempe defectum distinctionis Spiritus S. à Filio, & distinctionem ipsam: quia defectus processionis absolute nequit stare sine aliis prædicatis Spiritus S. cum processione connexis, utpote necessariis existentibus; & hæc sine processione stare non possunt; atque ita defectus processionis absolute sine ipsa processione stare non potest; & consequenter nec sine distinctione, quam fert secum processio. At defectus processionis absolute solum infert per locum intrinsecum defectum distinctionis, non item distinctionem ipsam. Quo etiam iure, loquendo vniuersè ex hypothesi impossibili defectus cuiusvis proprietatis essentia verè, & sine contradictione, atque adeo bene, & vtiliter adstruitur defectus alterius proprietatis necessario supponens illam: sicut ex hypothesi impossibili essentia quævis proprietatis eius. Sic si homo non esset admiratiuus, non esset risibilis; si cælum non esset corpus, non esset impenetrabile; si Angelus esset homo, esset risibilis; si circulus esset triangulus, haberet tres angulos æquales duobus rectis, &c.

Similiter ad probandum, possibilitatem creaturæ sine existentia Dei constare non posse, sic bene, & vtiliter arguitur ex hypothesi impossibili: Si Deus non existeret, Deus non esset possibilis: quia neque ab alio, neque à se posset accipere existentiam; si autem Deus esset possibilis, cætera cuncta essent impossibilia, ob eandem rationem. Eodem pacto probatur bene, impossibilitatem chymerarum adæquate distingui à Deo: quia ex hypothesi impossibili, quod Deus deficeret, per locum intrinsecum sequitur, adhuc eas fore impossibiles. Et alia huiusmodi sexcenta per hypothesin impossibilem bene, & vtiliter comprobantur.

Ex quibus omnibus tandem colliges, tunc solum argumentum ex hypothesi impossibili inutile esse ad aliquid sine contradictione inferendum, quando ex parte hypothesi implicatur contradictio in adiuncto, ut aiunt, id est, quando conceptui chimerico, ex quo præcisè sumpto vnum tantum ex extremis contradictionis inferendum, grat, adicitur alius conceptus, ex quo venit inferendum extremum alterum, sique fit, ut ex integrâ hypothesi per locum intrinsecum ex æquo inferatur utrumque.

Recentiores quidam, in quos post hæc scripsipta incidi, duo ad rem dicunt. Primum. Ex quavis hypothesi impossibili non solum duo aliqua contradictoria; sed quilibet omnino sequi, quantumvis disparatum, aut impertinens videatur. Secundum: ex hypothesi impossibili, quæ tali nunquam propterea argui vtiliter; sed tantum ex conceptu aliquo possibili incluso in chymera impossibile. Unde dicunt in eâ celebri questione: An, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio distinguereetur ab illo, sumendum esse ex parte hypothesi hunc conceptum possibilem; *Persona diuina*

Disp. XII. De entibus rationis. Quæst. I. 291

157 *nina non procedens à Filio, & procedens à Patre, ad hoc, ut arguatur vtiliter.*

Non placent quoad primum, sed vehementer potius displicent. Quia sicut ex entibus possibilibus non quodlibet est connexum cum quolibet, proindeque non ex quolibet inferitur quodlibet, ut est certissimum (alioquin non posset Deus producere aliquam creaturam, quin produceret omnes, aut hunc mundum, quin omnes possibiles: imo Deus non posset existere sine creaturis, neque voluntas creata sine suis actibus: nullaque subinde esset libertas: aliaque innumera huiusmodi absurda sequerentur) ita ex entibus impossibilibus non quodlibet connectitur cum quolibet aut impossibili, aut possibili, aut existente. Quod sanè ex ipsis terminis est evidens. Quia sicut ex eo, quod Petrus modo curret, non sequitur necessarîo, me loqui, aut me tacere, Papam dormire, aut Turcam converteri; & cætera huiusmodi, ut est notissimum. Ita ex eo, quod ignis modo actione chymericâ frige faceret, aut alia quavis huiusmodi chymera existeret, non sequitur necessarîo, aliquod ex prædictis, & multo minus quodlibet aliud fore, ut non minus est notum. Male ergo citati Recentiores asserunt, ex quavis hypothese impossibili quodlibet necessario sequi.

158 Sed arguunt pro se primò. Si existeret quavis chymera impossibilis, existerent simul duo contradictoria, ut omnes fatentur; aliàs non esset impossibilis contra suppositionem. Ponatur ergo e. g. in tali hypothese existere, & simul non existere lucem. Inde sic probant, Papam dormire. Vel lux existit, vel Papa dormit: At lux non existit; ergo Papa dormit. Argumentatio est legitima, ut constat ex logica. Maior, & minor in data hypothese sunt veræ. Ergo ex datâ hypothese necessarîo sequitur consequens. Pariterque venit probandum, quodlibet aliud sequi; fallaciter tamen, ut aliàs in simili tergi contra eisdem Recentiores. Respondeo, à negatione vnius ex extremis disuncti veri ad positionem alterius solum argui legitime, quando per eam negationem simpliciter, & vndequeque excluditur tale extremum: negatio autem lucis in datâ hypothese non excludit simpliciter, & vndequeque lucem, utpote per ipsam hypothese positam, compositamque cum sui negatione. Quare in data hypothese argumentatio facta non est legitima. Nihilque subinde per illam probatur contra doctrinam statutam; Nec aliud docemur in logica, iuxta quam solum est legitima dicta forma arguendi, quando minor syllogismi disunctivi simpliciter, & vndequeque excludit alteram partem maioris: uti semper evenit, quando, aut absolutè proceditur, aut ex hypothese non impossibili.


159 Secundo arguunt ex hypothese existentie secundi Dei impossibilis, atque adeo impotentis existere, in hunc modum. Data existentia alicuius non potest coexistere carentie dormitionis Papæ, dormit Papa: At existit alius Deus, qui, cum sit impotens existere, non potest coexistere carentie dormitionis Papæ: Ergo Papa dormit. Pariterque probandum venit, Papam non dormire; & quidlibet aliud. Sed miror, homines ingeniosos huiusmodi argumenta facere ferè, & ex animo. Respondeo, ex hypothese existentie secundi Dei nihil omnino sequi exclusivum carentie dormitionis Papæ, & consequenter cum ipsâ dormitione connexum, ut satis, superque, ni fallor, per se evidens est, atque adeo esto sequetur aliquid simpliciter excludens coexistentiam secundi Dei cum tali carentiâ, id certè eam sic non excluderet remouendo carentiam ipsam, sed remo-

Pharus Scient. Tom. I.

uendo dumtaxat ipsum secundum Deum, quo solo remoto, talis coexistentia cessaret. Vnde remotio carentie dormitionis Papæ per positionem dormitionis nequaquam sequitur ex dictâ hypothese. Addo, ne Deum quidem ipsum secundum, aut quoad existentiam, aut quoad potentiam existendi excludi alicunde simpliciter in datâ hypothese: quia licet, eâ datâ, secundus Deus non existeret, quia verus Deus illum excluderet, & non posset existere, quia id habet ex suo conceptu, aliunde, ut supponit hypothesis, existeret, & consequenter posset existere; atque ita in data hypothese tum existentia secundi Dei, tum eius potentia ad existendum, tum ambarum negatio carentie dormitionis Papæ coexisterent simul, si Papa non dormiret, dormitioni autem, si dormiret; impertinenterque proinde se habent ad hoc ut Papa dormiret, vel secus, coniuncta contradictoriorum, quæ in ea hypothese darentur.

160

Iam verò secundum, quod ex citatis Recentioribus proposuimus, non magis placet. Tum quia, dum aiunt, solum argui vtiliter ex hypothese conceptus possibilis inclusi in impossibili, ipsa sua explicatione reiiciunt ut inutilem modum arguendi ex hypothese impossibili hætenus receptum ab omnibus. Tum quia non solum ex hypothese conceptus possibilis; sed etiam ex hypothese conceptus impossibilis passim arguimus vtiliter, ut constat ex dictis. Tum quia ex conceptu possibili, quem assignat ad arguendum vtiliter in illa questione de distinctione Spiritus Sancti à Filio in casu non processionis ab ipso, inutiliter potius, & nugatorie argueretur. Inutiliter quidem, quia ex hypothese, quod Persona diuina procedens à Patre, & non à Filio, non procedat à Filio, nihil inferitur pro Spiritu sancto, de quo quæstio est, quia tantum inferitur, Personam diuinam procedentem à Patre, & non à Filio, quæ re ipsa, & absolutè est Filius ipse, non distingui à Filio. Nugatorie autem, quia assumptio hac nugatoria est, ut satis ex se apparet, si Persona diuina procedens à Patre, & non à Filio, non procederet à Filio. Nostre igitur explicationi datæ pro modo vtiliter arguendi ex impossibili hypothese standum est.



DISPUTATIO XII.

De entibus rationis.

161 **N** T E R obiecta intellectus humani entia etiam rationis suum locum habent. Quæ circa in præsentî disputatione de illis, quantum sat fuerit, agendum nobis est.

QVÆSTIO I.

Quid sit ens rationis?

162 **O** Missis variis conceptionibus entis rationis, quas congerit Paulus Vallius in sua logica, i. e. proleg. 9. 2. c. 1. de eo nobis ente rationis agendum in præsentî est, quod prout condistin. tū ab ente reali habenti esse in se, & ei quodammodo contrapositum; Sic definiuit Commentator lib. 6. Metaph. comm. 3. *Ens, quod solum habet esse obiectivè in intellectu; id*

Bb 2 est,